

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens De Philosophia Volumen Secundum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

In M Tvillii Ciceronis De Legibvs Librvm II. Commentarius Aldi Mannuccij.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770553)



I N

M. TVLLII. CICERONIS
DE LEGIBVS

LIBRVM . II.

Commentarius Aldi Mannuccij.



CICERO



Sed uis ne, quoniam & satis iam ambulatum est, & tibi aliud dicendum initium sumendum est, locum mutemus, & in insula, quae est in Fibreno, (nam id opinor illi alteri flumini nomen esse) sermoni reliquo de-
mus operam sedentes? M. Sane quidem. nam illo loco libentissime soleo uti, siue quid mecum ipse cogito, siue aliquid scribo, aut lego. Att. Equidem, qui nunc primum huc uenerim, satiari non queo; magnificaq; uillas, & pauimenta marmorea, & laqueata tecta contemno. ductus uero aquarum, quos isti nilos, & euripos uocant, quis non, cum haec uideat, irriserit? itaque, ut tu paullo ante, de lege, & de iure differens, ad naturam referebas omnia: sic in his ipsis rebus, quae ad quietem animi, delectationemq; quaeruntur, natura dominatur. quare antea mirabar, (nihil. n. his in locis, nisi saxa, et montes, cogitabam: idq; ut facerem, & orationibus inducebar tuis, & uersibus) sed mirabar, ut dixi, te tam ualde hoc loco delectari: nunc contra miror, te, cum Roma absis, usquam potius esse. M. Ego uero, cum licet plures dies abesse, praesertim hoc tempore anni, & amoenitatem, & salubritatem hanc sequor. raro autem licet. sed nimirum me alia quoque causa delectat, quae te non attingit ita. Att. Quae tandem ista causa est? M. Quia, si uerum dicimus, haec est mea, & huius fratris mei germana patria. hinc enim orti stirpe antiquissima sumus: hic gens, hic sacra, hic maiorum multa uestigia, quid plura? hanc uides uillam, ut nunc quidem est, laetius aedificatam patris nostri studio: qui, cum esset in firma ualetudine, hic fere aetatem egit in litteris: sed hoc ipso in loco, cum auius uiueret, & antiquo

more parua esset uilla, ut illa Curiana in Sabinis, me scito esse natum. quare inest nescio quid, et latet in animo, ac sensu meo, quo me plus hic locus fortasse delectet: si quidem etiam ille sapientissimus uir, Itacam ut uideret, immortalitatem scribitur repudiasset. Att. Ego uero tibi istam iustam causam puto, cur huc libentius uenias, atque hunc locum diligas. quin ipse, uere dicam, sum ipsi uillae amicitior modo factus, atque huic omni solo, in quo tu ortus, & procreatus es. mouemur enim, nescio quo pacto, locis ipsis, in quibus eorum, quos diligimus, aut admiramur, adsunt uestigia. me quidem ipsae illae nostrae Athenae non tam operibus magnificis, exquisitisq; antiquorum artibus delectant, quam recordatione summorum uirorum, ubi quisque habitare, ubi sedere, ubi disputare sit solitus: studiosq; eorum etiam sepulcra contemplor. quare istum, ubi tu es natus, plus amabo posthac locum. M. Gaudeo igitur me incunabula paene mea tibi ostendisse. Att. Et quidem, me cognosce, admodum gaudeo. sed illud tamen quale est, quod paullo ante dixisti, hunc locum (idem ego te accipio dicere Arpinum) germanam patriam esse uestram? num quid uos duas habetis patrias? an ne est una illa patria communis? nisi forte sapienti illi Catoni fuit patria non Roma, sed Tusculum. M. Ego mehercule & illi, et omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam naturae, alteram ciuitatis: ut ille Cato, cum esset Tusculi natus, in populi R. ciuitatem susceptus est. ita, cum ortu Tusculanus esset, ciuitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram iuris: ut uestri Attici, prius quam Theseus eos demigrare ex agris, & in asinum, quod appellatur, omnes conferre se iussit, & Sunij erant idem, & Attici: sic nos & eam patriam dicimus, ubi nati & illam, qua excepti sumus, sed necesse est caritate eam praestare, qua reip. nomen uniuersae ciuitatis est: pro qua mori, & cui nos

totos dedere, & in qua nostra omnia ponere, & quasi consecrare debemus. dulcis autem non multo secus est ea, quae genuit, quam illa, quae excepit. itaque ego

hanc meam esse patriam prorsus numquam negabo, dum illa sit maior, & haec in ea contineatur.

EXPLANATIO



LLI *alevi flumini* ? Duo enim flumina Ciceronis fundum Arpinatem alluebant, Liris, & Fibrenus. Silius lib. I IX. *Qui nunc* ? adulta aetate. *MAGNIFICASO*, uillas, ? Vt Luculli, Hortensij, Philippi. *NILOS & Euripos* ? Ita uocantur aquaeductibus exundantes, & Euboici Euripi similitudinem habentes. *NISI saxa* ? Cicero ad Att. Nam Arpinum quid ego te inuitem: *τηρησέ, ἀλλ' ἀγαθὴν κούροτρόφος, αὐτὴ ἐργασίη* His *γαιῖς δὲ γαίαι γλυκερώτερον ἀλλοιδέσθαι*. Et *uersibus* ? Vt Mario poemate. *PLURES dies abesse* ? Ab erat enim Roma Arpinum. *Hoc tempore anni* ? estate. *AMOENITATEM* ? Ita in epist. ad Q. fratrem: Ego ex magnis caloribus, non enim meminimus maiores, in Arpinati summa cum amoenitate fluminis me refeci ludorum diebus. *GERMANA patria*. ? uera patria. *ORTI stirpe antiquissima* ? Ferunt Ciceronem Arpini natum matre Heluia, patre equestris ordinis, ex regio Volscorum genere. *Vt illa Curiana in Sabinis*, ? De hac Curij uilla ita Cicero in lib. de senectute Catonem loquentem inducit: Ergo in hac uilla M. Curius cum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, consumpsit extremum tempus aetatis, cuius quidem uillam ego contemplans, abest enim non longe a mea, admirari satis non possum uel hominis ipsius continentiam, uel temporum disciplinam. *ITHACAM ut uideret* ? Ita lib. I. de Orat. Cuius rei tanta uis, ac natura est, ut Ithacam illam in asperimis saxulis tamquam nidulum affixam, sapientissimus uir immortalitati anteponeret. *MOVEMVR enim* ? Eadem lib. 5. de Finibus. *OPERIBVS* ? qualia erant propylaea illa a Pericle exstructa. *EXQUISITISQ. artibus* ? ut picturis, & statuis. *INCYNABVLA* ? Ita uocantur lectuli infantium in cunis. *ILLA patria communis* ? nimirum Roma. Ea enim est Municipium communis patria, & ita municipes ciues Romani. *VNAM naturae*, ? id est, in qua nati sunt. *ALTERAM ciuitatis*, ? nimirum, cuius facti sunt municipes. *LOCI patriam* ? germanam scilicet. *ALTERAM iuris*, ? ciuitatis, in quam susceptus est. *Vt uestri Attici*, prius quam *Thestus eos de migrare ex agris*, & in *astu*, quod appellatur, *omnes conferre se iussit*, & *Symfrantidem & Acticis*, sic nos & c. ? Sic duo ueteres libri: a quibus minimum ceteri dissentiunt, mendum tollere, & integritatem loco restituere conatus est, homo doctrina insigni, Hadrianus Turnebus; & litterarum similitudinem imitatus, legendum putauit, pro, Et Symfrantidem, & Acticis, Et Sunij erant idem, & Attici, qui licet ab antiqua scriptura non longe discesserit, ueritatem tamen fortasse non attingit. quo enim teste probatur, & Sunios fuisse eoldem, & Atticos, prius quam a Theseo ex agris in unam urbem cogerentur? Suniam in Attica Promontorium satis notum: incolae tamen Atticae regionis, in qua duodecim opida fuere, non ab uno Sunio potius, quam a reliquis, nomen capere debuerunt: quamquam nec Sunium inter ea uideo nominatum. nam duodecim illa opida sic a Strabone appellata: Cecropia, Tetrapolis, Epacria, Decelia, Eleusis, Aphydna, Thoricus, Brauro, Cytherus, Sphettus, Cephelia, Phalerus. itaque uertis, ut mihi uideor, legendum opinor: Et Symfratoras esse ex Atticis: id est, ut, qui erant antea, & dicebantur Attici a regione, in unam urbem congregati, tribuum societate iungerentur. *opida enim tribus*: unde *opida*: quo uerbo usus est Aristophanes in Pluto, & Aristoteles Polit. I. inde *opida*. Illud quoque, prius quam Thestus, mutandum credo, & reponendum, Postquam Thestus, nam, cum hic Cicero loquatur de duabus patrijs, naturae una, ciuitatis altera: naturae, qualis Catoni Tusculum fuit, Arpinum Ciceroni; Ciuitatis, qualis utriusque Roma: quomodo ad hanc sententiam pertinet exemplum Atticorum, prius quam ex agris in urbem se conferrent, id est, cum unam tantum naturae patriam haberent, illam alteram ciuitatis adepti nondum essent? *IN astu* ? Athenas. Terent. An in astu uenit. *QVA reip.* ? Caritate ciuitas reip. nomen obtinet. *QVAE consecrare* ? ut ab ea recedere, aut aliquid auferre non liceat, quasi dijs in perpetuum dicauerimus.

CICERO

ATT. Recte igitur Magnus ille noster, me audiente, posuit in iudicio, cum pro Balbo tecum simul diceret, rem nostram iustissimas huic municipio gratias agere posse, quod ex eo duo sui conseruatores exstiterent: ut iam uidear adduci, hanc quoque, quae te procreauit, esse patriam tuam. Sed uentum in insulam est. haec uero nihil est amoenius. ut enim hoc quasi rostro finditur Fibrenus, & diuisus aequaliter in duas partes latera haec alluit, rapideq. dilapsus, cito in unum confluit, & tantum complectitur, quod satis sit modicae palaestrae, loci: quo effecto, tamquam id habuerit operis, ac maneris, ut hanc

nobis efficeret sedem ad disputandum, statim praecipitat in Lirem, & quasi in familiam patriciam uenerit, amittit nomen obscurius, Liremque multo gelidiorum facit. nec enim ullum hoc frigidius flumen attingi, cum ad multa accesserim, ut uix pede tentare id possim: quod in Phaedro Platonis facit Socrates. M. Est uero ita: sed tamen huic amoenitati, quemadmodum ex Quinto saepe audio, Thebanus & pirotes tuus ille nihil opinor, conceperit. Q. Est ita, ut dicis. caue enim patres Attici nostri Amaltheo, platanisq. illis quidquam esse praeclariorum. sed, si uideretur, consideramus hic in umbra,

ambra, atque ad eam partem sermonis, ex qua egres-
si sumus, reuertamur. *M.* Praeclare exigitis, *Quin-*
te: at ego effugisse arbitrabar: & tibi horum nihil
deberi potest. *Q.* Ordire igitur: nam hunc tibi to-
tum dicamus diem. *M.* Ab Ioue Musarum pri-
mordia, sicut in Aratio carmine orsi sumus. *Q.* Quo-
rum istuc? *M.* Quia nunc itidem ab eodem, & a ce-
teris dijs immortalibus sunt nobis agendi capienda
primordia. *Q.* Optime uero, frater: & fieri sic de-
cet. *M.* Videamus igitur rursus prius, quam ag-
grediamur ad leges singulas, uim, naturamq. legis:
ne, cum referenda sint ad eam nobis omnia, labamur
interdum errore sermonis, ignoremusq. uim sermo-
nis eius; quo iura nobis definienda sint. *Q.* Sane qui-
dem berce: & est ista recta docendi uia. *M.* Hanc
igitur uideo sapientissimorum fuisse sententiam, le-
gem neque hominum ingenijs excogitatam, nec sci-
tum aliquod esse populorum; sed aeternum quid-
dam, quod uniuersum mundum regeret, imperandi
prohibendiq. sapientia: ita principem legem illam,
& ultimam, metem esse dicebant, omnia ratione aut
cogentis, aut uetatis de: ex qua illa lex, quam dij hu-
mano generi dederunt, recte est laudata. est enim ra-
tio, mensq. sapientis ad iubendum, & ad deterren-
dum idonea. *Q.* Aliquoties iam iste locus a te ta-
ctus est: sed, ante quam ad populares leges uenias,
uim illius caelestis legis explana, si placet; ne aestus
nos consuetudinis absorbeat, & ad sermonis morem

usitati trahat. *M.* A paruis enim, *Quinte,* didi-
cimus, Si in ius uocat, atque eiusmodi alias leges
nominare. Sed uero intelligi sic oportet, & haec,
& alia iussa, ac uetita populorum, uim non habere ad
recte facta uocandi, & a peccatis auocandi: quae uis
non modo senior est, quam aetas populorum, & ci-
uitatum, sed aequalis illius, caelum, atque terras
tuentis, & regentis, dei. neque enim esse mens diui-
na sine ratione potest: nec ratio diuina non hanc uim
in rectis, prauisq. sancientis habet. nec, quia nus-
quam erat scriptum, ut contra omnes hostium co-
pias in ponte unus adisteret, a tergoq. pontem inter-
scindi iuberet, iccirco minus Coelitem illum rem ges-
sisse tantam fortitudinis lege, atque imperio putabi-
mus. nec si, regnante L. Tarquinio, nulla erat Romae
scripta lex de stupris, iccirco non contra illam legem
sempiternam Sex. Tarquinius uim Lucretiae, Trici-
pitini filiae, attulit. erat enim ratio, profecta a re-
rum natura, & ad recte faciendum impellens, & a de-
licto auocans: quae non tum denique incipit lex esse,
cum scripta est, sed tum, cum orta est: orta est au-
tem simul cum mente diuina. Quamobrem lex uera,
atque princeps, apta ad iubendum, & ad uetandum,
ratio est recta summi Iouis. *Q.* Assentior, frater,
ut, quod est rectum, uerum quoque sit, neque cum
litteris, quibus scita scribuntur, oriatur, aut oc-
cidat.

EXPLANATIO

POSVIT dicit. *CVM pro Ambio?* Quis hic Ambius fuerit, ignoratur: neque pro eo Ciceronem, aut
Pompeium dixisse, comperimus: utrumque autem pro Balbo; pro quo exstat luculenta Ciceronis oratio:
itaque reposui, Balbo, approbante Maffei libro scripto. Haec Paullus pater. *DVO sui conseruatores?* Ma-
rius, & Ciceron. *HOc quasi uosiro finditur Fibrenus;* Allusio ad aquilam Promethei in Caucaaso religati,
fibras excedentem: quamquam & nauium rostris finduntur aquae. *MODICA palaestrae?* Graecorum mo-
re palaestras in uillis Romani Ciceronis aetate habere coeperunt. *QUAST in familiam patriciam?* Transla-
tio ab ijs, qui in adoptionem transeuntes propriae familiae nomen relinquiebant. *AMITTIT nomen?* nam
post confluentem non iam Fibrenus, sed Liris tantum dicitur. *LIREM sulphureum* nominat Silius lib. I. r. x.
FACTI Socrates? In Platonis Phaedro in fontem, qui erat iuxta Ilyssum, pede immisso frigus aquae tactu ex-
plorat. *THEBANVS?* Mendosum uerbum, fortasse, Thyamis, quod in Epiro flumen fuit ad Atr. epil. r. r.
lib. I. Plin. lib. I. v. cap. I. *AMALTHEO?* Sic uocabatur amoensimum in Pomponij uilla gymnasium ab
Amalthea capra. Graecis etiam nominibus erant in Tusculano Lyceum, & Academia, duo Ciceronis gymna-
sia. Varro, Nec putant se habere nullam nisi multis uocabulis retineant Graecis. Cicero lib. I. ad Atr. Velim
ad me scribas, cuiusmodi sit *ἀμάλθη* uinum, quo ornatu, qua *τοποθεσία*, & quae poemata, quasque historias
de *ἀμάλθη* habes, ad me mittas. *NIHL deberi potest?* non uis tibi deberi. *AB Ioue Musarum primordia?*
Aratus Solensis *ἀπὸ μούσων* scripsit, quorum principium est *ἐκ Διὸς ἀρχόμεθα, τὸν οὐδὲ ποτ' ἀνδρες ἐώμεν ἄρρη-*
τον, id est, Ab Ioue incipiamus, quem numquam mittamus indictum, & tacitum. Hunc imitatus Virgil.
Ecl. I. r. dixit, Ab Ioue principium Musae. Iouem Stoici solum deorum omnium esse immortalem putant,
alijs omnibus in exultatione pereuntibus: Arcemq. illius quandam in mundi centro commentum sunt. *RECTA*
docendi uia? Vt a definitione proficiscatur omnis institutio. *HOMINVM ingenijs?* Vt Legislaturum. *PRIN-*
CIPEM, & ultimam? supremam, & infimam. *EX qua?* principe lege. *ILLA lex?* ultima scilicet. *HY-*
MANO generi? unde dicta est naturalis. *RECTE est laudata?* nam legis humanae laus ex diuina redundat.
AD populares leges? id est, scriptas, ut sentit uulgus. *ISTVS caelestis legis?* quam supra principem dixit.
AESTVS consuetudinis? altera lex nimirum, ciuilis est, quae in opere aestuat, & Ioui dicata est. *ABSOR-*
BEAT, & attrahat. Metaphora ab aestuantibus. *A paruis?* dum essemus paruuli. *SI in ius uocat?* Initium
est alicuius legis *x i i.* tabularum, de quibus infra: Discebam enim pueri *x i i.* ut carmen necessarium, quas
iam nemo dicit. Sed & communem patriam, patriam Iuris paullo supra nominauit Cicero. *NON modo*
senior? sublimior. *CAELVM?* caelestem legem. *ATQVE terras?* humanas, siue ciuiles leges. *SINE ra-*
tionem? qua uentur, & regatur. *IN rectis, prauisq.?* & proinde correlatiuis. *ADISTERET,* & praefens sta-
ret. *FORTITVDINIS lege?* summa ratione iuncta in natura. Coelitis historia narratur a Liuiio lib. I. ab

v. c. & eiusdem lib. i. historia Sex. Tarquinij. A rerum natura & Naturam Zeno definit esse ignem artificiosum ad gignendum progredientem uia. QUAMOBREM & legis principis definitio. RATIO est recta & id est ad recte faciendum impellens. VERVM quoque sit & id est, uerae legis potestatem obtineat.

C I C E R O

M Ergo, ut illa diuina mens, summa lex est; item, quod in homine est perfectum, est in mente sapientis. quae sunt autem uarie, & ad tempus descripta populis, fauore magis, quam re, legum nomen tenent. omnem enim legem, quae quidem recte lex appellari possit, esse laudabilem, quibusdam talibus argumentis docent. Constat profecto, ad salutem ciuium, ciuitatumque. incolomitatem, uitamque hominum & quietam, & beatam inuentas esse leges; eosque, qui primum eiusmodi scita sanxerint, populis ostendisse se ea scripturos, atque laturos, quibus illi adscriptis, susceptisque honeste, beateque uiuerent: quae cum ita composita, sanctaeque essent, eas leges uidelicet nominarent. ex quo intelligi par est, eos, qui perniciose, & iniusta populis iusta descripserint, cum contra fecerint, quam polliciti, profectique sint, quiduis potius tulisse, quam leges: ut perspicuum esse possit, in ipso nomine legis interpretando inesse uim, et sententiam iusti, & iuris legendi. Quaero igitur a te, Quinte, sicut illi solent, quo si ciuitas careat, ob eam ipsam causam, quod eo careat, pro nihilo habenda sit, id est ne numerandum in bonis? Q. Ac maximis quidem. M. Lege autem carens ciuitas est ne ob ipsum habenda nullo loco? Q. Dici aliter non potest. M. Necessesse est igitur legem haberi in rebus optimis. Q. Prorsus assentior. M. Quid, quod multa perniciose, multa pestifere sciscuntur in populis, quae non magis legis nomen attingunt, quam si latrones aliqua coepectu suo sanxerint? nam neque medicorum praecepta dici uere possent, si quae insciji, imperitijque pro salutaribus mortifera conscripserint; neque in populo lex, cuiusmodi fuerit illa, etiam si perniciosum aliquid populus acceperit, ergo est lex iustorum, iniustorumque distinctio, ad illam antiquissimam, & rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quae supplicio improbos afficiunt, defendunt, ac tuentur bonos. Q. Praeclare intelligo: nec uero iam aliam esse ullam legem puto non modo habendam, sed ne appellandam quidem. M. Igitur Titias, & Appuleias leges nullas putas? Q. Ego uero ne Lulias quidem. M. Et recte, quae praesertim uno uersiculo senatus, puncto temporis, sublatae sint. lex autem illa, cuius uim explicauit, neque tolli, neque abrogari potest. Q. Eas tu igitur leges rogabis uidelicet, quae numquam abrogentur? M. Certe, si modo acceptae a duobus uobis erunt. sed, ut uir doctissimus fecit Plato, atque idem grauissimus philosophorum omnium, qui princeps de rep. conscripsit, idemque separatim de legibus eius, id mihi credo esse faciendum, ut, prius quam ipsam legem recitem,

de eius legis laude dicam: quod idem & Zaleucum, & Charondam fecisse uideo: cum quidem illi non sicut dii, & delectationis, sed reip. causa leges ciuitatibus suis scripserint: quos imitatus Plato, uidelicet hoc quoque legis putauit esse, persuadere aliquid, non omnia uis, ac minis cogere. Q. Quid, quod Zaleucum ipsum negat illum fuisse Timacum? M. At Theophrastus auctor, haud deterior, mea quidem sententia: meliorem multi nominant: commemorant uero ipsius ciues, nostri clientes, Locri. sed, siue fuit, siue non fuit, nihil ad rem: loquimur, quod traditum est. Sit igitur hoc iam principio persuasum ciuibus, dominos esse omnium rerum, ac moderatores deos, eaque, quae gerantur, eorum geri uis, ditione, atque numine, eosdemque optime de genere hominum mereri, & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admitat, quam mente, qua pietate colat religiones, intueri, piorumque, & impiorum habere rationem. his enim rebus imbutae mentes haud sane abhorrebunt ab utili, & a uera sententia. quid est enim uerius, quam neminem esse oportere tam stulte arrogantem, ut in se rationem, & mentem putet inesse, in caelo, mundoque non putet? aut ut ea, quae uix summa ingenij ratione comprehendat, nulla ratione moueri putet quem uero astrorum ordines, quem dierum, nocturnaque uicissitudines, quem mensium temperatio, quemque ea, quae gignuntur nobis ad fruendum, non gratum esse cogunt, hunc hominem omnino numerari qui decet cumque omnia, quae rationem habent, praestentis, quae sint rationis expertia; nefasque sit dicere, ullam rem praestare naturae omnium rerum; rationem inesse in ea, confitendum est. uile esse autem has opinioniones, quis neget cum intelligat, quam multa firmentur iureiurando, quantae salutis sint foederum religiones, quam multos diuini supplicij metus a scelere reuocant, quamque sancta sit societas ciuium inter ipsos, dijs immortalibus interpositis tum iudicibus, tum testibus. Habes legis prooemium: sic enim hoc appellat Plato. Q. Habeo uero, frater, & in hoc admodum delector, quod in alijs rebus, alijsque sententijs uersaris, atque ille. nihil enim tam dissimile est, quam uel ea, quae ante dixisti, uel hoc ipsum legis exordium. unum illud mihi uideris imitari orationis genus. M. Vellem fortasse: quis enim id potest, aut umquam poterit imitari? nam sententias interpretari per facile est: quod quidem ego facerem, nisi plant esse uellem meus. quid enim negotij est, eadem proprie uerbis ipsidem conuersa dicere? Q. Prorsus assentior uerum, ut modo tute dixisti, te esse malo tuum. sed iam exprome, si placet, istas leges de religione.

E X P L A N A T I O

QUOD in homine est perfectum, & id est summa lex, & ratio. AD tempus & pro condicione temporis. CONSTAT profecto, & A fine docet leges esse laudabiles. S. V. S. G. E. P. T. I. S. & quo delectus

lectus in lege, quemadmodum dixit lib. I. COMPOSITA & collecta. LEGENDI. & id est colligendi, & eligendi. ILLI solent; & nimirum Stoici, a quibus ista de summa lege sumpta sunt. HABENDA nullo loco? & nihili aestimanda? NAM neque medicorum? A simili sumpto ex Platonis dialogo de lege probat legem esse non posse, quae perniciofa decernat. CVICVIMODI & id est, cuiuscumque modi. Ita pro Roscio: Vereor enim, cuiusmodi es, Rosci, ne ita hunc uideat seruare, ut tibi non pepercerim. AD antiquissimam naturam & simulacrum antiquissimae rerum naturae. IGITUR Titias, & Appuleias leges nullas putas? & Vbi mendosum aliquid in libris occurrit, primum inspicere diligenter soleo ueteres libros, non modo ut litteras omnes, sed ipsam etiam litterarum formam considerem; quo facilius mendi originem deprehendam: deinde, si scriptis etiam in libris ueritas obscuratur, ad coniecturam confugio, quae magnam saepe lucem attulit, ut hic, nisi fallor. nam, cum in antiquo libro uiderem, Tucias, & Appuleias leges putauit, suam loco integritatem restituit, si legeretur, Titias, & Appuleias; minime dubitans, quin eae significantur leges, quas Sex. Titius, & L. Appuleius Saturninus, inuita nobilitate, plebis commodo, & uoluntati seruientes, perulerunt: quas postea senatus, quod non modo parum utiles reip. uerum etiam exitiosae uiderentur, sustulit. historiae testimonia requirentur: haec sunt: Cicero pro C. Rabirio, perduellionis reo, Sex. Titius, quod habuit imaginem L. Saturnini domi suae, condemnatus est. Et Val. Max. lib. I. IX. cap. I. Sex. quoque Titium similis casus prostrauit. erat innocens: erat, agraria lege lata, gratus apud populum: tamen, quia Saturnini imaginem domi habuerat, suffragijs eum tota concio oppressit. Libro etiam de Oratore secundo hic noster: Nam & testimonium saepe dicendum est, ac non numquam etiam accuratius, ut mihi necesse fuit in Sex. Titium, seditiosum ciuem, & turbulentum. explicauit in eo testimonio dicendo omnia consilia consulatus mei, quibus illi tribuno pl. pro rep. restitui: quaeq. ab eo contra remp. facta arbitrarer, exposui. Cum igitur constet, eodem tempore & amicissimos, & tribunos pl. malarumq. legum latores fuisse Titium, & Saturninum; & cum in antiquo libro scriptum esse uideam Tucias: non dubito, quin mihi hoc studiosi libenter tribuant, ut, Titias, reponam. Haec Paullus pater. NE Linias quidem? M. Linij Drusi trib. pl. leges omnes, Philippus Cos. obtinuit a senatu, ut uno senatusconsulto tollerentur. Asconius auctor. VERSICULO & cum pronunciatum est contra auspicia, referente Philippo cos. latas uideri. PERSVADERE aliquid? Plato omnibus fere legibus exordium praeponebat, quo legis aequitatem suadet. TIMAEVS? & Simile quid legitur lib. VI. ad Att. Fuit is Timaeus historicus acerbissimus in omnes conuiciator. QUID enim uerius, & Argumento Stoicorum probat deum esse. Nam si in homine inest ratio, multo magis in mundo: ratio autem illa, & mens deus est. ASTROVVM ordines? Ab astrorum ordine probat dei prouidentiam. GRATVM esse? piuum, & religiosum aduersus deos ex memoria beneficiorum. CVMQVE omnia? Hoc etiam argumentum refertur a Balbo lib. II. de nat. deo. NATVRAE omnium? mundo. QVANTAE salutis? quam salutare.

CICERO

M. Expromam equidem, ut poterō; & quoniam & locus, & sermo familiaris est, legum leges uoce proponam. Q. Quidnam id est? M. Sunt certa legum uerba, Quinte, neque ita prisca, ut in ueteribus ijs, sacratisq. legibus; & tamen, quo plus auctoritatis habeant, paullo antiquiora, quam hic sermo est. eum morem igitur cum breuitate, si poterō, consequar. leges autem a me edentur non perfectae, nam esset infinitum, sed ipsae summae rerum, atque sententiae. Q. Ita uero necesse est. quare audiamus.

M. Ad diuos adeunto caste: pietatem adhibento: opes amouento: qui secus faxit, deus ipse uindex erit. separatim nemo habesit deos, ne ue nouos: sed ne aduenas, nisi publice adscitos, priuatim colunto. constructa a patribus delubra in urbibus habento: lucos in agris habento: & larum sedes, ritus familiae, patrumq. seruanto. diuos, & ollos, qui caelestes semper habiti, colunto: & ollos, quos endo caelum merita uocauerint, Herculem, Liberum, Aesculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum, ast olla, propter quae datur homini adscensus in caelum, Mentem, Virtutem, Pieratem, Fidem: earumq. laudum delubra sunt, nec ulla uictorū. sacra sollempnia obeunto. ferijs iurgia amouento, easq. in famulis, operibus patris, habento: itaque, ut ita cadat in annis amfractibus, descriptum esto: certa q. fruges, certa q. bacas

sacerdotes publice libanto, hoc certis sacrificijs, ac diebus: itemq. alios ad dies ubertatem lactis, feturaeq. seruanto. id quod ne committi possit, ad eam rem ratione cursus annuos sacerdotes finiunto: quaeque diuo decorae, grataeq. sint hostiae, prouidento: diuisq. alijs alij sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunt: uirginesq. Vestales in urbe custodiuo: ignem foci publici sempiternum: quoq. haec priuatum, & publice modo, rituq. fiant, discunto ignari a publicis sacerdotibus: eorum autem duo genera sunt: unum, quod praesit caerimonijs, & sacris; alterum, quod interpretetur fatidicorū, & uatū effata incognita, quom senatus populusq. adsciuerit: interpretes autem Iouis optimi maximi publici augures signis, & auspicijs poltea uidento, disciplinam tenento: sacerdotes uineta, uirgetaque, & salutem populi auguranto: quiq. agent rem duelli, quiq. popularem, auspiciū praemonento: olloq. obtemperanto: diuorumq. iras prouidento, ijsq. apparento: caeliq. fulgura regionibus ratis temperanto: urbemque, agros, & templa, liberata, & effata habento: quaeq. augur iniusta, nefasta, uitiosa, dira defixerit, irrita, infectaq. sunt: quiq. non paruerit, capital esto: foederum, pacis, belli, indutiarum, oratorum, feriales iudices sunt: bella discipranto: prodigia, portenta ad Etruscōs, & haruspices, si senatus iussit, deferunto: Etruriaq. principes disciplinam doceto: quibus diuis creuerint, procuran-

to; ijdemq. fulguta, atque obsita pianto: nocturna mulierum sacrificia ne sunt, praeter olla, quae pro populo rite fiunt; ne ue quam inuito, nisi, ut assolet, Cereri, Graeco sacro: sacrum commissum, quod neque expiari poterit, impie commissum esto; quod expiari poterit, publici sacerdotes expiant: ludis publicis, quod sine curriculo, sine certatione corporum fiat, popularem laetiam in cantu, & fidibus, & tibijs moderant, eamq. cum diuum honore iungunt; ex patrijs ritibus optima colunt: praeter Idaeae matris famulos, eosq. iustis diebus, ne quis stipem co-

gito: sacrum, sacro ue commendatum qui clepsit, rapitque, paricida esto: periurij poena diuina, exitium humana, dedecus: incestum pontifices supremo supplicio faciunt: impius ne audeo placare donis iradeorum; caute uota reddunt; poena uiolati iuris esto. ne quis agrum consecrato auri, argenti, eboris sacrandi modus esto, Sacra priuata perpetua manent; deorum manium iura sancta sunt: homines leto datos diuos habent: sumptum in ollos, luctumq. remouent.

EXPLANATIO

IN *ueteribus ijs, sacratissq. legibus* § Cum in antiquo libro sit, Ex ijs, pro ijs; legendum puto, In ueteribus **XII**, sacratissq. legibus. **ADEVNTO caesie**: § Columella, His autem omnibus placuit eum, qui rerum harum officium suscepit, castum esse, continentemq. oportere: quoniam totum in eo sit, ne contrectentur uascula, uel cibi, nisi aut ab impube, aut abstinentissimo rebus ueneris. **PIETATEM** § Pietas, ut Trifinegustus, Lactantiusq. demonstrant, nihil aliud est, quam dei notio, & cultus. primus autem deorum cultus, ut inquit eleganter Seneca, est deos credere, deinde reddere illis maiestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla est maiestas. **HABESSIT** § id est, habeat. Confusionem enim haberet religio, si quis priuatos deos coleret. **Ne ue novos, sed ne aduenas**, § Veram lectionem puto, Ne ue novos, & ne aduenas; parua admodum, & prope nulla mutatione; siquidem, Ser, ueteres scribebant pro, Sed: & saepe hoc mendii genus deprehendimus, cum alicuius uerbi prima littera ex ultima antecedentis sumpta, & repetita est. Maffei liber habet, Ne ue novos, sive aduenas. antiquitatem magis oleret, Ne ue novos, ne ue aduenas. Haec Paullus pater. **LYCOS** § Siluas, quas dijs consecratas ferro temerare nefas erat. Plinius de Arboribus, Haec fuere numinum, templa, & in ijs silentia ipsa adoramus. **LARVM sedes** § Teste Plauto, familiae Lar pater habebatur ab antiquis: & in canis figura efformabatur. Ouidius in Fastis Lares domus custodes uigiles dicit, quos geminos ediderat Lara Nympha, primum compressa a Ioue, deinde a Mercurio in Luco. Plutarchus in Problemat. Cur, inquit, Laribus, quos proprie Praefites uocant, Canis affuit, ipsi autem Lares canum uestibus uestiuntur? Plautus in Aulul. Larem familiarem loquentem facit, thure, uino, coronis sibi quotidie sacrificari. **Qui caelestes semper** § qui diui semper fuerunt, non per ἀποθέσειν facti. **OLLOS, quos endo caelum** § In Caelum: Endo, pro, In, ueteres utebantur. Cicero lib. II. de nat. deo. Suscepit autem uita hominum, & consuetudo communis, ut beneficijs excellentes uiros in caelum fama, ac uoluntate tollerent: hinc Hercules, Castor, & Pollux &c. **NEC ulla uitiorum.** § Hoc, a sequentibus uerbis seiunctum, cum antecedentibus coniunctum, quod animaduersum nondum erat. Haec Paullus pater. **FERIIS iurgia** § Ita Cicero lib. I. de diuinat. Rebusq. diuinis, quae publice fierent, ut fauerent linguis, imperabatur: inq. ferijs imperandis, ut litibus, & iurgijs se abstinerent. **EASQ. in famulis** § feriari sinant famulos absolutis operibus rusticis. **IN annis amfractibus** § in anni curriculis, & fastis. **CERTASQ. fruges** § Antiqui frugibus in sacrificijs utebantur. Plinius scribit Numam instituisse deos fruge colere, & mola salsa supplicare, & far torrere. **ALIOS ad dies** § ad alias ferias, ut scilicet rerum istarum copia suo tempore suppetat sacrificijs. **IN quod ne committi possit** § In quo ne peccari possit, utq. istarum rerum suppetat ubertas. **DECORAE** § idoneae. Non enim fetus illico sacris idoneus erat, uerum omni die septimo, suis decimo. **GRATAEQ.** § singulis dijs suae quondam erant hostiae, Cereri porca, Baccho caper, Neptuno taurus: nec aliena hostia deus placabatur. **IGNEM foci** § Vestae sacer erat focus, in quo seruabatur ignis sempiternus, a uirginibus, quae Vestales dicebantur, & in eo res diuina Laribus plerumque fiebat. **CAERIMONIES, & sacris**, § placandis dijs. **EFFATA incognita** § ut quae in Sibyllinis continebantur. **AVGVRES** § Hos lib. III. Ioui consiliarios, & administratos esse datos ait. **POSTEA uidento** § Si Postea, pro, Deinde, accipiamus; otiosum uerbum uidebitur in lege breuissime conscripta, itaque aliter interpretor: ut sit, Postea, pro, In futurum, & quod postea euenturum est. **DISCIPLINAM** § Auguralem scientiam. **AVGVVRANTO** § augurio capto exorant. **AUSPICIVM praemonento** § praemonento eos, quale sit eorum auspiciu. **DIVORVMQ. iras** § num irati sint dii. **APPARENTO** § more prius: Id est parento, ut nihil geratur irato deo. **RATIS** § certis, definitis. **TEMPLA liberata & effata.** § Ex antiquorum testimonio, & auctoritate reposuimus, Effata. nam M. Varro de lingua Lat. Hinc, inquit, Effata dicuntur, quod augures finem auspicioium caelestium extra urbem agris sint effati, hinc Effari templa dicuntur, ab auguribus effantur, qui in his fines sunt. hinc Fana nominata, quod pontifices in sacrando faci sint finem. Et Gellius lib. XI. cap. 14. de pomerio, his uerbis: Pomerium quid esset, augures populi R. qui libros de auspicijs scripserunt, istiusmodi sententia definiuerunt: Pomerium est locus intra agrum effatum, per totius urbis circuitum, pone muros, regionibus certis determinatus; qui facit finem urbi auspicij. Et in eodem cap. Neque postea D. Iulius, cum pomerium proferret, intra effatos urbis fines inclusit. Pomerium est circa murum locus, quem in condendis urbibus quondam Etrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato consecrabant. Vti appareat, Effari, & Consecrari idem esse, Praeterea Liuius lib. I. Iouis Staroris aedem

aedem notam, ut Romulus ante uouerat: sed fa num tantum, id est locus templo effatus iam sacratus fuerat. Haec Paullus pater. *Liberata*: Liberata, inquit Festus, antiqui pro Effata, id est Locuta dixere. *DEFIXERIT* praemonnerit. *CAPITAL* & Ita prisci. Plautus: Numquam aedepol fugiet, tamen capital fecerit. *FETIALES* & Collegium Fetialium his rebus, quas lex memorat, praecerat, ut Liuius, & Dionysius explicant. Ius Fetialium etiam esse ait Dionysius disceptare iusto ne, & pio bello res repeti possint. *Ad Etruscos, & haruspices*, & Placeret, Ad Etruscos haruspices. uide de Diu. lib. 1. *ETRURIAQ. principes, &c.* & Etrusci ex disciplina sua doceant principes. Cicero lib. 1. de diuinat. Etruria autem de caelo tacta scientissime animaduertit, eademq. interpretatur, quid quibusque ostendatur monstris, atque portentis. Quocirca bene apud maiores nostros senatus, tum cum florebat imperium, decreuit, ut de principum filijs sex singulis Etruriae populis in disciplinam traderentur. *OBSTITA* & Cloatius, & Aelius Stilo Obstitum esse aiunt uiolatum, tactumq. de caelo. Est & Obstitum obliquum & mendosum. Lucret. Omnia mendose fieri, atque obstita necesse est. *PRÆTER olla, quae &c.* & praeter sacrificium Bonae deae, quod noctu pro populo fiebat, Damium dicebatur hoc sacrum, ut Festus scribit, & Bona de Damia, & eius sacerdos Damias. De hoc sacro ita Seneca in epistolis: Credat aliquis pecuniam esse uersatam in eo iudicio, quo reus erat Clodius ob id adulterium, quod cum Caesaris uxore in operto commiserat, uiolatis religionibus eius sacrificij, quod pro populo fieri dicebatur, sic semotis extra conpectum omnibus uiris, ut picturae quoque masculorum animalium conregerentur. Eius sacri meminit & Iuuen. *CERERI, Graeco sacro*: & quod a feminis innuptis fiebat. Dionysius lib. 1. Cicero pro Cornelio Balbo, Sacra Cereris, ludices, summa maiores nostri religione consici caerimoniaq. uoluerunt: quae cum essent assumpta de Graecis & per Graecas sunt semper curata sacerdotes, & Graeca omnia appellata. *SACRYM commissum* & peccatum in dies festos, & sacra, uel prudenter commissum est, uel imprudenter. prudentia impia est, nec expiari potest: imprudentia expiatur: Macrobius: Praeter multam uero affirmabant, eum, qui talibus diebus imprudens aliquid egisset, porco piaculum dare debere: prudentem expiari non posse Scaeuola pontifex asseuerabat. *SIVE curriculo, sine certatione* & In hoc meam potius coniecturam, quam ueteres libros, sequi placuit. nam, Sine, ut antea legebatur, sententiae repugnat, quam indicat Cicero infra, his uerbis: Ludi publici sint corporum certatione. &c. Haec Paullus pater. Ego mendosum locum opinor. Cum enim & Circenses ludi, & scenici significantur, ut infra patet. quibus necesse est, circensibus tribui curriculum, & certationem corporum, scenicis uero cantum, fides, tibias. *IDEAE matris* & Ab Ida monte Phrygiae ita appellabatur Mater magna, quam ex Pessinunte Romam aduectam Nalica hospitio accepit Megalensibus eius famuli Galli stipem cogebant. *CLEPSIT, rapitq.* & id est clepsit, & rapuerit, ut supra, Iussit, pro Iusserit. *VIOLATI iuris* & Violatae religionis. Sic infra interpretatur hunc locum. *SACRA priuata* & Ita Cicero pro Murena: Sacra interire illi uoluerunt: horum ingenio senes ad coemptiones faciendas interimendorum sacrorum causa reperi sunt. *DEORUM manium* & Animos humanos e corpore liberatos, quia manere crederent, Manes a neteribus uocatos uideri potest, cum sepulcris inscriberent, D. M. eiusq. parentarent, & sacra priuata perpetuo manere uellent.

CICERO

ATT. Conclusa quidem est a te tam magna lex sanequam breui: & ut mihi quidem uidetur, non multum discrepat ista constitutio religionum a legibus Numae, nostrisq. moribus. *M. An censes, cum in illis de rep. libris persuadere uideatur Africanus, omnium rerump. nostram ueterem illam fuisse optimam, non necesse esse optimae reip. leges dare consentaneas?* Att. Immo prorsus ita censeo. *M. Ergo adeo exspectate leges, quae genus illud optimum reip. contineant: & si quae forte a me hodie rogantur, quae non sint in nostra rep. nec fuerint, tamen erant fere in more maiorum, qui tum, ut lex, ualebat.* Att. Suade igitur, si placet, istam ipsam legem; ut ego, Vti rogas, possim dicere. *M. An tandem, Attice, non es dicturus aliter?* Att. Prorsus maiorem quidem rem nullam sciscam aliter: in minoribus, si uoles, remittam hoc tibi. atque mea quidem sententia est. *M. At, ne longum fiat, uidete.* Att. Vtinam quidem: quid enim agere malumus? *M. Caste iubet lex adire ad deos, animo uidelicet, in quo sunt omnia: nec tollit castimoniam corporis: sed hoc oportet intelligi, cum multum animus corpori praeslet, obserueturq. ut casta corpora adhibeantur, multo esse in animis id seruandum magis. nam ince-*

stum uel adspersione aquae, uel dierum numero tollitur: animi labes, nec diuturnitate uanescere, nec manibus ullis elui potest. Quod autem pietatem adhiberi, opes amoueri iubet: significat probitatem gratam esse deo, sumptum esse remouendum. quid est enim, cum paupertatem diuitijs etiam inter homines esse aequalem uelimus, cur eam, sumptu ad sacra adhibito, deorum aditu arceamus? praesertim cum ipsi deo nihil minus gratum futurum sit, quam non omnibus patere ad se placandum, & colendum uia. Quod autem non index, sed deus ipse uindex constituitur: praesentis poenae metu religio confirmari uidetur. Suosq. deos, aut nouos, aut alienigenas coli, confusionem habet religionum, & ignotas caerimoniae, non a sacerdotibus, non a patribus acceptos. Deos ita placet coli, si huic legi paruerint ipsi. Patrum delubra esse in urbibus censeo: nec sequor magos Persarum: quibus auctoribus Xerxes inflammasse templa Graeciae dicitur, quod parietibus includerent deos, quibus omnia deberent esse patentia, ac libera; quorumq. hic mundus omnis templum esset, & domus. melius Graeci, atque nostri, qui, ut auerent pietatem in deos, eadem illos urbes, quas nos, incolere uoluerunt. affert enim haec opinio religionem

gionem utilem ciuitatibus: siquidem & illud bene dictum est a Pythagora, doctissimo uiro, tum maxime & pietatem, & religionem uersari in animis, cum rebus diuinis operam daremus: & quod Thales, qui sapientissimus in septem fuit; homines existimare oportere, omnia, quae cernerent, deorum esse plena: fore enim omnes castiores, ueluti in fanis essent, maxime religiosos. est enim quadam opinione species decorum in oculis, non solum in mentibus. Eandemq. rationem luci habent in agris. Neque ea, quae a maioribus prodita est, cum dominis, tum famulis, posita in fundi, nullaeq. conspectu, religio Larum repudianda est. iam ritus familiae, patrumq. seruari, id est, quoniam antiquitas proxime accedit ad deos, a dijs quasi traditam religionem tueri. Quod autem ex hominum genere consecratos, sicut Herculem, & ceteros, coli lex iubet, indicat omnium quidem animos immortales esse, sed fortium, honorumq. diuinos. Bene uero, quod Mens, Pietas, Virtus, Fides consecratur manu: quarum omnium Romae dedicata publice templa sunt: ut, illa qui habeant, habent autem omnes boni, deos ipsos in animis suis collocatos

putent. nam illud uitiosum Athenis, quod Cylonio scelere expiato, Epimenide Crete suadente, fecerunt Contumeliae fanum, & Impudentiae. uirtutes enim, non uiua consecrare decet. araq. uetus stat in Palatio Febris: & altera in Exquilij malae Fortunae, detestataeq. omnia eiusmodi repudianda sunt. quod si fingenda nomina uice poetae, ac potius uincendi, atque potiundi stat assandi cognomina, quae Statoris, & Inuicti Iouis, rerumq. expectandarum nomina, ut Salutis, Honoris, Opes, uictoriae. quoniamq. expectatione rerum bonarum erigitur animus, recte etiam spes a Calatino consecrata est: Fortunaque, sit uel Huiusce diei; nam ualeat in omnes dies: uel Respicens, ad opem ferendam: uel Fors, in quo incerti casus significantur magis: uel Primigenia, a gignendo.

Multa desunt.

EXPLANATIO

NVMAE? qui Romanae reip. religionem, & caerimonias constituerat. **VTI** rogas? Alludit ad tabellas, in quibus scriptum erat, Vti rogas. uide ad Att. lib. i. & Liniu lib. xxxi. Haec Paullus pater. **DICERE.** pro, Scilicet. nam ad ueterem consuetudinem respexit: cum suffragium uoce ferebatur ante legem Carbonis, de qua meminit infra lib. i. Haec Paullus pater. **AN** tandem, Attice, non es dicturus aliter? Rectius opinor, An tandem? Sic locutus alibi quoque. ut lib. i. An tandem? etiam a Stoicis ista tractata sunt: & epist. 2. i. lib. ix. Fam. & lib. i. v. de Fin. in principio. Nec semel Terentius. Haec Paullus pater. **REMITTAM** hoc? nimirum, ut suadeas. **AT**QUE mea quidem sententia est. Non satis hoc apte mihi uidetur coniungi, cum antecedentibus Attici uerbis: & malim ad M. Ciceronem transferri: qui se quoque dicat idem sentire de suadenda lege, sed uereri, ne mox Attico, & Quinto longior uideatur oratio. Haec Paullus pater. **INCESTUM?** libidinis pollutionem incestum dixit quasi non castam rem, ne foeda loqueretur. **Nec manibus ullis?** quantum uis te manibus eluas. **Suos?** priuatos, ac proprios, qui non coluntur publice. **ACCEPTOS?** approbatos. **INFLAMMASSE templa Graeciae?** Id Aeschylus in Persis conqueritur. **EANDEM.** rationem? quam in urbis habent delibra, ut augeatur hominum pietas in deos. **Id est, tueri.** hoc ipsum tueri. **CONSECRATUR manu?** Cicero pro domo, Postem teneri oportere in dedicatione templi uideor audisse. Linius lib. ii. de dedicatione templi Capitolini, Postem iam tenenti consuli foedam inter precationem deum nuntium incutiunt. **CYLONIO scelere?** De Cylonio Phauorinus. ita legendum, non Celonio, ex Thucy. Historiam ita scribit Thucydides lib. i. Cylon quidam Atheniensis fuit uir Olympionices, uetusta nobilitate, magnaeque potentia. ipsi Delphis oraculum consulenti respondit deus, uti maximis Iouis ferijs Athenarum arcem occuparet. Is postquam Olympia, quae in Peloponneso celebrantur, aduenere, arcem inuasit. Quod ubi cognitum est, Athenienses ex agris populariter in eos ad opem urbi ferendam concurrerunt, ac sedentes iuxta obsederunt. Ceterum, qui cum Cylone obsessi erant, & ab annonae, & ab aqua misere conflabantur. Cylon igitur, eiusque frater clam fugam faciunt: reliqui ad aram, quae in arce erat, supplices confident: quos sedibus extrados Atheniensium custodes, ut in aede iam iamq. animam acturos uiderunt, ne quid sceleris admitterent, extra abductos obruncarunt. sed & quosdam, qui ad Eumenidum aras confederant, in transitu iugularunt. Inde piaculares deaeque sacri ipsi posteriq. eorum uocati sunt. Epimenidem decem ante res Perlicas annis Athenas scelere Cylonio ex dei oraculo expiasse meminit Plato primo legum. Lustrauit autem non solum Athenas, uerum etiam alias multas nubes Epimenides, si Pausaniae fides habenda est. **ARAE** uetus, & c. Muretus ita legit: Araque, quae uetus stat in Palatio, Febris, & altera Esquilij Malae Fortunae, detestataq. omnia eiusmodi, repudianda sunt. uide de nat. de. lib. ii. Haec Paullus pater. **VICE** poetae? fortasse legendum, Victae, & Potuae: de quibus deabus Arnobius aduersus gentes. **STATORIS?** Statori Ioui aedem uouit Romulus, auctor Linius. **IN**VICTI Iouis? Iuppiter inuictus Romae colebatur. Ouid. lib. vi. Fast. **HUIUSCE diei?** Huiusque diei, in antiquo libro, & in uetere lapide Capitolino. Pl. xxxi. v. cap. 8. **FORS?** Varro lib. v. de ling. Lat. **PRIMIGENIA,** Plutarch. in Problem.

CICERO

C I C E R O

CVM est uel feriarum, festorumq. dierum ratio, in liberis quietem habet litium, & iurgiorum; in seruis, operum, & laborum: quas compositio anni conferre debet ad perfectionem operum rusticorum. quod tempus, ut sacrificiorum libamenta seruentur, fetusq. pecorum, quae dicta in lege sunt, diligenter habenda ratio interkalandi est: quod institutum perite a Numa, posteriorum pontificum negligentia dissolutum est. Iam illud ex institutis pontificum, & haruspicum non mutandum est, quibus hostijs immolandum cuique deo, cui maioribus, cui laetentibus, cui maribus, cui feminis. Plures autem deorum omnium, & singuli singulorum, sacerdotes, & respondendi iuris, & conferendarum religionum facultatem afferunt. Cumq. Vesta quasi focum urbis, ut Graeco nomine est appellata, quod nos prope idem Graecum interpretatum nomen tenemus, complexa sit; ei colendae uirgines praesint: ut aduigiletur facilius ad custodiam ignis; & sentiant mulieres in natura seminarum omnem castitatem peti. Quod sequitur uero, non solum ad religionem pertinet, sed etiam ad ciuitatis statum, ut sine ijs, qui sacris publice praesunt, religioni priuatae satis facere non possint. continet enim in reip. consilio, & auctoritate optimatum semper populum indigere: descriptioq. sacerdotum, nullum iustae religionis genus praetermittit. nam sunt ad placandos deos alij constituti, qui sacris praesunt sollempnibus; ad interpretanda alij praedicta uatum, neque multorum, ne esset infinitum, neque ut ea ipsa, quae suscepta publice essent, quisquam extra collegium nosset. Maximum autem, & praestantissimum in rep. ius est augurum, & cum auctoritate coniunctum. neque uero, quia sum ipse augur, ita sentio, sed quia sic existimare nos est necesse. quid enim maius est, si de iure quaerimus, quam posse a summis imperijs, & summis potestatibus comitiatus, & concilia uel instituta dimittere, uel habita rescindere? quid grauius, & quam rem susceptam dirimi, unus si augur, aliter, dixerit? quid magnificentius, quam posse decernere, ut magistratu se abdicent consules? quid religiosius, quam cum populo, cum plebe agendi ius, aut da-

re, aut non dare? quid, leges, non iure rogatas, tollere, ut etiam decreto collegij, ut Linius consilio Philippi consulis, & auguris? nihil domi, nihil militiae per magistratus gestum, sine eorum auctoritate, posse cuiquam probari? Att. Age, iam ista uideo, fateorq. esse magna: sed est in collegio uestro inter Marcellum, & Appium, optimos augures, magna dissentio. nam eorum ego in libros incidi, cum alteri placeat auspicia ista ad utilitatem esse reip. composita, alteri disciplina uestra quasi diuinare uideatur posse. hac tu de re; quaero, quid sentias. M. Ego ne? diuinationem, quam Graeci *μαυτινν* appellant, esse censeo, & huius hanc ipsam partem, quae est in aurbus, ceterisq. signis disciplinae nostrae: quod cum summos deos esse concedamus, eorumq. mente mundum regi, & eorundem benignitatem hominum consulere generi, & posse nobis signa rerum futurarum ostendere; non uideo, cur esse diuinationem negem. sunt autem ea, quae posui; ex quibus id, quod uolumus, efficitur, & cogitur. Iam uero, permultorum exemplorum, & nostra plena est resp. & omnia regna; omnesq. populi, cunctaeq. gentes, augurum praedictis multa incredibiliter uera cecidisse. neque enim Polyidi, neque Melampodis, neque Mopsi, neque Amphiarai, neque Calchantis, neque Heleni tantum nomen fuisset; neque tot nationes id ad hoc tempus retinuisent, Arabum, Phrygum, Lycaonum, Cilicum, maximeq. Pisidarum, nisi uetustas ea certa esse docuisset. nec uero Romulus noster auspicio urbem condidisset: neque Attij Nauij nomen memoria floreret tam diu, nisi ibi omnes multa ad ueritatem admirabilia dixissent. Sed dubium non est, quin haec disciplina, & ars augurum euaneuerit iam & uetustate, & negligentia. ita neque illi assentior, qui hanc scientiam negat, umquam in nostro collegio fuisse: neque illi, qui esse etiam nunc putat. quae mihi uidetur apud maiores fuisse duplex, ut ad reip. tempus non numquam, ad agendi consilium saepissime pertineret. Att. Credo hercle ita esse; istiq. rationi potissimum assentior. sed redde cetera. M. Reddam uero, & si potero, breui.

EXPLANATIO

FERIARVM, festorumque? Festi dies latius putent, quam feriae, cum ludi festi dies sint, non tamen feriae. Interkalatio anni confert, ut feriae anniuersario suo tempore redeant perfecta opere rusticorum, & libamenta, quae ferijs quibusque offerenda sunt, suo tempore habeantur. **C**ONFERNDARVM? Sic antiquus liber: & omnino melius, quam, Constitendarum, ut ante. plures autem sacerdotes ideo probat, ut de religionibus inter se conferre possint. Haec Paullus pater. **C**VMQ. *Vesta*? *Vesta* a Graecis *εστια* dicitur: quae dictio *εστια* quoque id est focum significat. Cicero lib. II. de nat. deo. In ea dea, quae est rerum custos intimarum, omnis & precatio, & sacrificatio extrema est. **O**PTIMATVM? nam pontifices ex optimatibus sunt, & principibus ciuitatis, cum ex senatoribus creentur. **A**LII praedicta natum? ut Decemuiri libris Sybillinis praefecti. **N**EQVE multorum,? Multa enim sunt uaticinandi genera, quae Rom. populus non probauit. **S**VM augur? Ab exilio reuersus Cicero in augurum collegium ab Hortensio cooptatus fuit. **C**OMITIATVS? comitia. **C**ONCILIA? Laelius Felix apud Gellium sic ait: Is, qui non uniuersum populum, sed partem aliquam adesse iubet, non comitia, sed concilium edicere debet. **S**I unus augur, aliter, dixerit.? Sic antiquus liber. ego, quo minor mutatio fiat, legerem, Ali die, pro, Alio die: antique: cum etiam in generandi casu dicerent, Alius, a nomiatiuo, hic, & haec Alis, & hoc Ale. de hoc augurum more in nunciando, cum

Bb 2 impedi-

impedire comitia uellent, in II. Philippica: Confecto negotio bonus augur, Alio die, inquit. Sed in hislibris de legibus libentius, quam alibi, antiqua uerba Cicero usurpat; quo plus auctoritatis ipsa res, ab antiquis etiam ducta moribus, habeat. Haec Paullus pater. *SE abdicent consules: & Vide lib. II. de natu. deo. AGENDI ius & nam augurato id fiebat. Quid, leges, non iure rogatas tollere, ut etiam decreto collegij, ut Liviae consilio Philippi consulis, & auguris? & Nulla certior est coniectura, quam quae nititur historia. hic pro, Etiam, satis liquet, nomen legis esse reponendum, quae sicuti Liviae leges, a Druso latae, ex uoluntate senatus, decreto augurum, sublata sit. & quoniam hoc ipso in libro mentio iam facta est de legibus Titij, Appuleijs, Linijs; quod rationibus, ut puto, non leuissimis probaui: propterea crederem & hic legendum esse, Titiam, non Etiam. Haec Paullus pater. NIHI domi, & nihil in urbe. INTER Marcellum, & Appium, & De his lib. II. de diuinat. Equidem assentior C. Marcello potius, quam Appio Claudio, qui ambo mei collegae fuerunt: existimoque ius augurum, etsi diuinationis opinione principio constitutum sit, tamen postea reip. causa referuatum, ac retentum. CETERISQUE signis & de quibus lib. I. de diuinat. NEQUE illi assentior & nimirum Marcello. NEQUE illi, qui esse & c. & nimirum Appio. Ad reip. tempus & Ad reip. utilitatem, ut scilicet religionem animis obijceret. AD agendi consilium & ad explorandum deorum consilium in rebus agendis.*

CICERO

SEQUITUR enim de iure belli: in quo & suscipiendo, & gerendo, & deponendo ius plurimum ualeat, & fides: horumque ut publici interpretes essent, lege sancimus. Iam de haruspicum religione, de expiationibus, & procurationibus, satis superque in ipsa lege dictum puto. Att. Assentior; quoniam omnis haec in religione uersatur oratio. M. At uero, quod sequitur, quo modo aut tu assentire, aut ego reprehendam, sane quaero, Tite. Att. Quid tandem id est? M. De nocturnis sacrificijs mulierum. Att. Ego uero assentior, excepto praesertim in ipsa lege, sollempni sacrificio, ac publico. M. Quid ergo aget Iacchus, Eumolpidaeque uestri, & augusta illa mysteria, siquidem sacra nocturna tollimus? non enim populo Rom. sed omnibus bonis, firmisque populis leges damnas. Att. Excipis, credo, illa, quibus ipsi initiati sumus. M. Ego uero excipiam. nam mihi cum multa eximia, diuinaque uidentur Athenae tuae peperisse, atque in uita hominum attulisse, tum nihil melius illis mysterijs, quibus ex agresti, immani que uita exculti ad humanitatem, & mitigati sumus, initiaque ut appellantur, ita re uera principia uitae cognouimus. neque solum cum laetitia uiuendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi. ❖ Quid autem mihi displicat in nocentes, poetae indicant comici. qua licentia Romae data, quidnam egisset ille, qui in sacrificium cogitatum libidinem inculit, quo ne imprudentiam, quidem oculorum adijci fas fuit? A. Tu uero istam Romae legem rogato, nobis nostras ne ademeris. M. Ad nostras igitur reuertor: quibus profecto diligentissime sancendum est, ut mulierum famam multorum oculis lux clara custodiat; initienturque eo ritu Cereri, quo Romae initiantur, quo in genere seueritatem maiorum senatus uetus auctoritas de Bacchanalibus, & consulum, exercitum adhibito, quaestio, animaduersioque declarat. Atque omnia nocturna, ne nos duriores forte uideamur, in media Graecia Diagondas Thebanus lege perpetua sustulit. Nouos uero deos, & in his colendis nocturnas peruigilationes sic Aristophanes, facetissimus poeta ueteris comoediae, uexat, ut apud eum Sabazius, & quidam alij dij, peregrini indicati, e ciuitate eijciantur. Publicus autem sacerdos imprudentiam, consilio expiatam,

metu liberet; audaciam in admittendis religionibus foedis damnet, atque impiam iudicet. Iam ludi publici, cum sint cauea, circoque diuisi, sint corporum certatione, cursu, & pugillatione, luctatione, curricularumque equorum usque ad certam uictoriam circo constitutis: cauea, cantu, ac fidibus, & tibijs, dummodo ea moderata sint, ut lege praescribitur. assentior enim Platoni, nihil tam facile in animos teneros, atque molles influere, quam uarios canendi sonos: quorum, dici uix potest, quanta sit uis in utramque partem. naque & incitat languentes, et languefacit excitatos: & tum remittit animos, tum contrahit. ciuitatumque hoc multarum in Graecia interfuit, antiquum uocum seruare modum. quarum mores lapsi ad molliorem, pariter sunt immutati cum cantibus: aut hac dulcedine, corruptelaque deprauati, ut quidam putant: aut quod, cum seueritas eorum ob alia uicia cecidisset, tum fuit in auribus, animisque mutatis etiam huic mutationi locus. quam obrem ille quidem sapientissimus Graeciae uir, longaeque doctissimus, ualde hanc labem ueretur: negat enim mutari posse musicas leges sine mutatione legum publicarum. ego nec tam ualde id timendum, nec plane contemnendum puto. illa quidem, quae solebant quondam compleri seueritate iucunda Linijs, & Naeuijs modis, nunc ut eadem exsultet, ceruices oculosque pariter cum modorum flexionibus torqueant. grauius olim ista uindicabat uetus illa Graecia, longe prouidens, quam sensim pernicies illapsa ciuium animos malis studijs, malisque doctrinis, repente totas ciuitates euertet. siquidem illa seuera Lacedaemon neruus iussit, quos plures quam septem haberet, in Timothei fidibus demmi. Deinceps in lege est, ut de ritibus patrijs colantur optimi. de quo cum consulere Athenienses Apollinem Pythium, quas potissimum religiones tenerent; oraculum editum est, eas, quae essent in more maiorum. quo cum iterum uenissent; maiorumque morem dixissent saepe esse mutatum; quaesissentque, quem morem potissimum sequerentur e uarijs: respondit, optimum. & profecto ita est, ut id habendum sit antiquissimum, & deo proximum, quod sit optimum. Scipem sustulimus, nisi eam, quam ad paucos dies, propriam Idaeae matris, excepimus. implet n. superstitione animos, & exhaurit domos. Sacri lego

poena est, neque ei solt, qui sacrum abstulerit; sed etiam ei, qui sacro comendatum. quod et nunc multis fit in fanis. Alexander in Cilicia deposuisse apud Sotol in delubro pecuniam dicitur. Atheniensis Clisbenes Iunoni Samiae, cuius egregius, cum rebus timeret suis, filiarum dotes credidit. Sed iam de periuurijs, de incesto nihil sane hoc quidem loco disputandum est.

EXPLANATIO

PUBLICI interpretes essent & quos Fetiales nominavit. Dionysius Fetialium collegium a Numa institutum scribit. **IN religione** & cui parendum est, & non contradicendum. **EXCEPTO sacrificio** & nimirum publico, quod Vestales Bonae deae faciebant. **IACCHVM** & Multi fuere Bacchi, primum tamen e Ioue, & Proserpina natum dixit Cicero lib. I. I. de nat. deo. his uerbis: Dionysios multos habemus, primum e Ioue, & Proserpina natum &c. & lib. I. I. Liberum Semele natum, non eum, quem nostri maiores auguste, sancteque Liberum cum Cerere, & Libera consecrauerunt. Quod quale sit, ex mysterijs intelligi potest. Primum hunc siue Bacchum, siue Iacchum (nam Iacchi nomen Eleusini deabus ita familiare fuisse, inquit Herodotus, ut Dianae Virbius, Adonis Veneri, & Ays Cibeli) quidam in fabulis biforem relatum dicunt, quia primus nuptias instituerit: alij, quia primus boues ad iugum iunxit: Orpheus tamen in hymno in Misen Bacchum, ita cecinit: *Ἀδὲνα γὰρ θηλυὴν δῖον ἴδον*. id est Femina, mascul. simul, gemina huic natura. Huic qui initiaretur, bis eum inuocare solitos dicunt, clamando *Ἰακχὸς ὦ Ἰακχὸς*. ad innuendam eius duplicem naturam. Iacchi meminit etiam Claudianus in his:

Ecce procul ternis Hecate uariata figuris

Exoritur, laetifq. simul procedit Iacchus,

Crinali florens hedera, quem Parthica tigris

Velat, & auratos in nodum colligit ungues,

Ebria Meonij's figit uestigia thyrsis.

EUMOLPIDAEQ. *uestri* & Ita sine dubio legendum est, non, ut antea, Eumolpidaeq. nostri. Haec Paullus pater. **Eumolpidae**: Eumolpus Eleusinius fuit, Musaei poetae filius, Orphei discipulus. Initiandi ritum inuenit, & de sacris Cereris, & mysterijs conscripsit, ab eoque Eumolpidae uocabantur mysteriorum illorum sacerdotes. Bacchanalia nocturnum sacrum Graecum seminarium omnium scelerum inuestigata, & multorum poena sublata fuere Sp. Postumio, & Marcio Philippo cos. auctor Lilius belli Maced. lib. IX. **QVI BVVS initiari sumus** & tamquam augusta, sanctaque. **PRINCIPIA uitae** & nam inuento frumento Ceres homines feros, & uagantes collegisse dicitur, eosq. legibus subiugasse, quibus iustitia omnibus seruaretur. **CVM spe meliore** & credebant enim apud inferos in beatorum insulis futuros initiatos, reliquos autem in coeno uoluntari, ut est apud Diogenem Laertium, & apud Aristoph. in Ranis. **IN nocentes** & Longe discedit ab antiquis libris eorum coniectura, qui legendum existimant, In nocturnis alij coniungunt cum posteriore existimantiae parte: ut sit: poetae comici indicant in nocentes. mihi omnino mendosum uidetur. Haec Paullus pater. **POETAE indicant Comici** & Quorum comoediae saepe habent argumenta puellarum stupratarum in Cereris pernigilationibus. Plaut. in Aulul. Qui illam stuprauit nocte Cereris uigilijs. **EGISSET ille** & Clodium notat, de quo paullo supra. **ADITICI fas** & Persuasum enim erat oculos amitti ab ijs, qui sacra ea uiderent, Cicero de haruspicum responsis: Aut quod oculos, ut opinio illius religionis est, non perdidisti. **NOBIS** & Atheniensibus. **IN TIEN TVRQ.** & Interdum, non ut Athenis, noctu. **LEGE perpetua** & nam ad bonitatem, & firmitatem populorum legem instituebat. sic supra Cicero dixit: Non enim populo Romano, sed omnibus bonis, firmisq. populis leges damus. **VETERIS comoediae** & Nunc non exstat comoedia, quam Cicero citat. **SABAZIVS,** & Liber pater, siue Bacchus, a *σαβαζειν*, quod est Bacchari Sabazius dicitur. Inde Sauazare iuxta Italicum idioma uir doctus deflexum putauit. Diodorus lib. V. de Sabazio ita scribit: Traditur quoque & alter multa prior aetate fuisse Dionysius, quem ferunt ex Ioue, & Proserpina natum, a nonnullisq. appellatum Sabazium, cuius genus, sacra, honores, propter pudorem, nocturna occultaq. agunt. hic dicitur propter ingenij acumen primus boues ad iugum iunxisse, eorumq. opera iacta semina frugem reddidisse, qua ex re illum cum cornibus finxerunt. **CONSILIO expiatum,** & cum, quod imprudenter commisit, id sciens expiauit. **ADMITTENDIS religionibus foedis** & Iulius Paulus Sentent. V. Qui nouas, inquit, & usu, uel ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum mouentur, honestiores deportantur, humiliore capite puniuntur. **CVRSV** & Triplex equorum cursus, *κέρωντι*, id est equo uno; *ἰπποισ*, duobus desultorijs; *εὐματι* bigis, aut quadrigis. Vide inscriptiones Odarum Pindari. Homerus Iliad. V. posuit octo ludorum genera, equorum cursus caestus, lucta, cursus, certamen lanceae, discus, sagitta, iaculum. **CAVEA** & id est teatro, **CANTV, uoce,** & Sufstuli dictionem, Voce, tum quia non erat in antiquo libro, tum quia glossema uisa est antecedentis dictionis. praeterea, qui locus legis hic exponitur, in eo Vocis nulla mentio. sunt enim ibi haec: Populum laetitiam in cantu, & fidibus, & tibijs moderant. Haec Paullus pater. **PLATONI** & in lib. de rep. & de legibus. **MORES lapsi** & hinc simplicem, & antiquam musicam probat Plato, nihilq. in ea innotari permittit. Aegyptios laudans, apud quos neque pictura, neque choreae, nec musica immutabatur; sed uicis poemata semper canebant. **NEGAT enim** & Plato lib. IV. de rep. refert Damonem dixisse, Musicae modos in rep. mutari non posse, quin protinus maximarum legum sequatur immutatio. **LIVIANIS, & Naucianis** & Cicero modos antiquos probat, quales a Liuio Andronico, & Naucio antiquis poetis compositi erant. **EADEM exsultent,** & eadem salent. **CVM modorum flexionibus** & cum cantici flexionibus. **TORQUEANT,** & Meliore,

Meliore, ut opinor, sententia, legeretur, Torquent. Haec Paullus pater. ΤΙΜΟΤΗΙ *fidibus demi.* Cum in antiquo libro scriptum uideam, Inde, pro, Demi; in alio autem, Inde demi: malim, Incidi, nam Graeco uerbo, ἀποτέμω, quo Plutarchus utitur, cum hanc rem narrat, ἐν λακωνικῷ ἀποτῆ, magis respondet, Incidi, quam, Demi. Haec Paullus pater. IMPLET *superstitione* olim namque Iſidis sacerdotes, alijq. diuinatione, quadam, & caerimonia non exiguum aes colligebant, & prauam religionem inducebant. quod genus homines Aerusatores fere uocabant. APUD Solos? Ita uocatur Ciliciae urbs apud Iſſum. Solebant autem ueteres diuitias suas templis committere, quasi seruarentur deorum religione, & fide. ATHENIENSIS *Clisibenes*? Ab hoc temp. expulsis tyrannis, optime constitutam fuisse, scribit Iſocrates in Areopagitico. IYNONI *Samiae*? hoc est Sami religioſe culta. Est autem Samus insula Cariae opposita, Parthenia prius, alijq. nominibus appellata, teste Stephano. Varro scribit, Sami Iunonem adoleuisse, & etiam Ioui nupuisse, itaque ibi nobilissimo, & antiquissimo tempore eius fuisse simulacrum in habitu nubentis figuratum, & sacra eius annuaria nuptiarum ritu celebrata.

CICERO

DONIS impij ne placare audeant deos, Platonem audiant: qui uetat dubitare, qua sit mente futurus deus, cum uir nemo bonus ab improbo se donari uelit. Diligentia uotorum satis in lege dicta est, ac uoti sponſio, qua obligamur deo. Poena uero uiolatae religionis, iustam reſuſationem non habet. quid ego hic sceleratorum utar exemplis, quorum plenae tragoediae: quae ante oculos sunt, ea potius attingantur. etsi haec commemoratio, uereor, ne supra hominis fortunam esse uideatur: tamen, quoniaſermo mihi est apud uos, nihil reticebo: uelimq. hoc, quod loquar, dijs immortalibus gratum potius uideri, quam graue. Omnia tum perditorum cjuum scelere, discessu meo, religionum iura polluta sunt: uexati nostri lares familiares: in eorum sedibus exaedicatū templum Licentiae: pulsus a delubris is, qui illa seruat. circumspicite celeriter animis, (nihil enim attinet quemquam nominari) qui sint rerum exitus consecuti. nos, qui illam custodem urbis, omnibus ereptis nostris rebus, ac perditis, uiolari ab impijs passi non sumus; eamq. ex nostra domo in ipsius patris domum detulimus; iudicia senatus, Italiae; gentium denique omnium conseruatae patriae consecuti sumus. quo quid accidere potuit homini praeclearius? quorum scelere religiones tum prostratae, afflictasq. sunt; partim ex illis distracti, ac dissipati iacent; qui uero ex ijs & horum scelerum principes fuerunt, & praeter ceteros in omni religione impij, non solum uita cruciati, atque dedecore, uerum etiam sepultura, & iustis exsequiarum caruerunt. Equidem ista agnosco, frater; & meritis dijs gratias ago: sed nimis saepe secus aliquanto uidemus enadere. M. Non enim, Quinte, recte existimamus, quae poena diuina sit: & opinionibus uulgi rapimur in errorem, nec uera cernimus: morte, aut dolore corporis, aut luctu animi, aut offensione iudicij, hominum miseria ponderamus: quae fateor humana esse, & multis bonis uiris accidisse: sceleris autem poena tristis, & praeter eos euentus, qui sequuntur, per se ipsa maxima est. uidimus, qui nisi odissent patriam, numquam nobis inimici fuissent, ardentes tum cupiditate, tum metu, tum conscientia; quid agerent, modo timentes, uicissim contententes religiones; iudicia perrupta ab ijsdem, corrupta hominum, non deorum. Reprimam iam, & non insequar longius, eoque minus, quo plus poenarum habeo, quam petiui, tantum ponam, duplicem poenam esse se diuinam, quod constet & uexandis uiuorum animis, & ea fama mortuorum, ut eorum exitium et iudicio uiuorum, & gaudio comprobetur. Agri autem ne consecrentur, Platoni prorsus assentior: qui si modo interpretari potero, bis fere uerbis utitur. Terra igitur, ut focus domiciliorum, sacra deorum omnium est. quocirca ne quis iterum idem consecrato. Aurum autem, & argentum in urbis, et priuatum, & in fanis inuidiosa res est. Tum ebur ex inanimi corpore extractum, haud satis castum donum deo. Iam aes, atque ferrum, uelli instrumenta, non sani ligneum autem quodque uoluerit, uno e ligno dedicato, itemq. lapideum, in delubris communibus. Textile, ne operosius, quam mulieris opus uideatur. Color autem albus praecipue decorus deo est, cum in ceteris, tum maxime in textili. tincta uero absint, nisi a bellicis insignibus. Diuinissima autem dona aues, & formae ab uno pictore uno absolutae die. itemq. cetera huius exempli dona sunt. Haec illi placent, sed ego cetera non tam restricte praefinio, uel hominum uitjs, uel subsidijs temporum uictus. terrae cultum seignorem suspicor fore, si ad eam tuendam, ferroq. subigendam, superstitionis aliquid accesserit.

EXPLANATIO

NE placare? scilicet, faciendo dijs rem diuinam. PLATONEM? lib. i. v. de leg. Παρὰ δὲ μὲν τοῦ δῶρα οὐτ' ἀνδρ' ἀγαθόν, οὐτ' ἐθεόν ἐστὶ ποτὲ τὸ γε ὀρθόν δέχεσθαι. DILIGENTIA uotorum? qua uota redderent. VIOLATAE religionis? supra dixit: Poena uiolati iuris esto: IUSTAM reſuſationem non habet? cum fraudis, & impietatis cruciati semper uexentur. NE supra hominis fortunam & c. ? ne mihi nimium arrogare uidear. APUD uos, ? Ita superius dixit, Quoniam & sermo, & locus familiaris est. NOSTRI lares familiares; ? Sunt enim etiam Lares publici. TEMPLUM Licentiae? Cicero pro Domo: Tu in ciuis domo simulacrum non Libertatis publicae, sed Licentiae collocasti. Plutarchus in Cicerone: Ὁ δὲ Κλωδῖος ἐξέλασεν τὸν Κίχρον,

κέρων, κατέπρησε μὲν αὐτοῦ τὰς ἐπιπέσεις, κατέπρησε δὲ τὴν οἰκίαν, καὶ τὸ τίσιμα γὰρ ἐλευθερίας ἐπακοδόμησε. id est, Clodius Ciceronis, quem exterminarat, & uillas inflammauit, & aedes incendit, illicq. Libertati templum construxit. **ILLAM custodem urbis** ? Mineruam intelligit: nam Plutarch. Ea, inquit, Ciceroni probabatur: ac procius Mineruae simulacrum, quod iamdiu domi locatum supra modum colebat, in Capitolium delatum dicauit, subscripsitq. Mineruae Romae custodi. **IN ipsius patris domum** ? In templum Iouis Capitolini. **IVDICIA conseruatae patriae** ? nam Pater patriae dictus. **PARTIM** ? Sallust. quoque in oratione C. Cottae semel Partim usurpat: Quorum alia toleraui, partim repuli deorum auxilijs, & uirtute mea. **DISTRACTI** ? a coniurata societate. **IVSTIS exsequiarum** ? ad Clodium respicit, cuius cadauer semiustulatum dilaniandum prope canibus relictum est, ut in orat. pro Milone docet. **OPINIONIBVS uulgi** ? existimantis miseras dolore corporis. **OFFENSIONE** ? condemnatione. **HVMANA** ? in homines expetere folere. **Eos euentus** ? cruciatu. **IVDICIA perrupta** ? ea intelligit, quibus absolutus est de Clodius de uiolata religione Bonae deae. **TANTVM ponam, duplicem poenam esse &c.** ? Hunc locum ope duorum ueterum librorum, quorum unum doctissimus uir, omniumque, quos nonerim, humanissimus, Hannibal Crucecius mihi commodauit, facile correxi: coniectura nihil opus fuit. Haec Paullus pater. **VITIVR** ? lib. XII. de legibus. γὰρ μὲν οὖν ἐστὶ τῆς οἰκίας ἱερὰ πᾶσι πάντων θεῶν. &c. **INUIDIOSA res** ? Quae finitimos ad inuidiam impellit, & nonnumquam ad inferendum bellum spe praedae. **INANIMO corpore** ? Anre, Inani: ego & ex uetere libro, &, ut puto, recte. Inanimus. minor etiam mutatio, Inanimi, ex Inani: sed antiquum librum sequi malo. Haec Paullus pater. **NON satis castum** ? non satis conueniens deorum simulacris, & sanctorum ornamentis. quidquid enim ex cadauere est, funestum censebant. **DVELLI instrumenta non fani** ? ubi deorum pacem petimus. **ALBUS** ? quia non est infectus. **TEXTILI** ? Vt panno, uel tela, quae dicabitur. **FORMAE** ? imagines. **SVNTO** ? ἐστω, dixit Plato. **SED ego cetera &c.** ? Assentior, inquit, Platoni terram non esse consecrandam: cetera, de quibus praecipit, non tam restricte praefinio. **FERRO** ? subigendam ? uonere arandam, & ligone pastinandam. **Subigendam** : Sic opinor, melius, quam Subijciendam, ut antea legebatur. hoc quoque ex antiquo libro. Haec Paullus pater.

CICERO

AT. Habeo ista: nunc de sacris perpetuis, et de manium iure restat. **M.** O miram memoriam, Pomponi, tuam. at mihi ista exciderant. **Att.** Ita credo: sed tamen hoc magis eas res & memini, et expecto, quod & ad pontificum ius, & ad civile pertinent. **M.** Vero: & apertissima sunt istis de rebus & responsa, & scripta multa: & ego in hoc omni sermone nostro, quod ad cumque legis, genus me disputatio nostra deduxerit, tractabo, quoad poterō, eius ipsius generis ius civile nostrum, sed ita, locus ut ipse notus sit, ex quo ducatur quaeque res, & ars iuris: ut non difficile sit, quaecumque noua causa, consultatione ue acciderit, eius tenere ius, cum scias a quo sit capite repetendum. Sed iuris consulti, siue erroris obijciendi causa, quo plura, & difficiliora scire uideantur; siue, quod similis ueri est, ignorantia docendi: (nam non solum, scire aliquid, artis est, sed quaedam ars etiam docendi) saepe, quod positum est in una cognitione, id in infinita dispartitur: uelut in hoc ipso genere, quam magnum illud Scaeuolae faciunt, pontifices ambo, & uidem iuris peritissimū: saepe, inquit Publij filius, ex patre audiui, pontificem bonum neminem esse, nisi qui ius civile cognosset. totum ne? quid ita? quid enim ad pontificem de iure parietum, aut aquarum, aut ullo omnino? ergo quod cum religione coniunctum est. (id autem quantum est) de sacris credo, de notis, de ferijs, de sepulcris, et si quid eiusmodi est. cur igitur haec tanta facimus, cum cetera perparua sint? de sacris autem, qui locus patet latius, haec sit una sententia, ut conseruentur, & deinceps familijs prodantur: &, ut in lege posui, perpetua sint sacra. hoc posito, haec iura, pontificum auctoritate, consecuta sunt, ut, ne morte patris familias sacrorum memoria occideret, ijs essent ea adiuncta, ad quos eiusdem morte pecunia uenerit.

hoc uno posito, quod est ad cognitionem disciplinae satis, innumerabilia nascuntur, quibus implentur iurisconsultorum libri. quaeruntur enim, qui adstringantur sacris. Heredum causa iustissima est. nulla est enim persona, quae ad uicem eius, qui e uita emigrarit, propius accedat. Deinde qui morte, testamento ue eius tantundem capiat, quantum omnes heredes: id quoque ordine: est enim ad id, quod propositum est, accommodatum. Tertio loco: si nemo sit heres, qui de bonis, quae eius fuerint, cum moritur, usuceperit plurimum. Quarto: si nemo sit, qui ullam rem ceperit, de credit oribus eius, qui plurimum seruet. Externa illa persona est, ut is, qui ei, qui mortuus sit, pecuniam debuerit, neminiq. eam soluerit, proinde habeatur, quasi eam pecuniam ceperit. Haec nos a Scaeuola didicimus, non ita descripta ab antiquis. nam illi quidem his uerbis docebant: tribus modis sacris adstringi, hereditate, aut si maiorem partem pecuniae capiat; aut, si maior pars pecuniae legata est, si inde quippiam ceperit. sed pontificum sequamur. Videtis igitur omnia pendere ex uno illo, quod pontifices pecuniam sacris coniungi uolunt: iisdemq. ferijs, & caerimonias adscribendas putant. atque etiam dant hoc Scaeuolae, quod est partitionis caput; si in testamento deducta, scripta non sit, ipsiq. minus ceperint, quam omnibus heredibus relinquatur, sacris ne alligentur. in donatione, hoc idem secus interpretatur. et quod pater familias in eius donatione, qui in ipsius potestate esset, approbavit, ratum est: quod eo insciente factum est, si id is non approbat, ratum non est. his propositis quae stiunculae multae nascuntur, quas qui non intelligat, si ad caput referat, per se ipse facile perspiciat: ueluti, si minus quis cepisset, ne sacris alligaretur, ac post de eius heredibus aliquis exegisset pro sua parte, id, quod

quod ab eo, cuius ipse heres esset, praetermissum fuisset; eaq. pecunia non minor esset facta, cum superiore exactione, quam heredibus omnibus esset reli-

cta; qui eam pecuniam exegisset, solum, sine cobere-
dibus, sacris alligari.

EXPLANATIO

AD pontificium ius, & ad religionem. Ad civile & ad ius singulorum. VERO: & apertissima sunt & Hoc meum est. nam omnes & scripti, & impressi, quos uiderim, libri, Vera, & apertissima sunt. mihi & consuetudo uetus Latine loquendi, & ipsa sententia, Vero, demonstrauit esse uerius. est enim pro, Sane. Sic locutus est in Bruto: sic alibi. Locus etiam de Diuinatione lib. I. mendose legebatur, & Vere, pro, Vero, impressi libri habebant. Haec Paullus pater. *IN hoc omni sermone* & scilicet, de legibus. *NOSTRVM* & Romanumq. *SED ita, &c.* & non uerbosè, sed eatenus, ut intelligi possit. *QUAEQUE res* & quaeque pars. *DIFICILE sit, qui paulum modo ingenio possit moueri, quaecumque noua, &c.* & Hoc, Qui paulum modo ingenio possit moueri, in nostrum librum ut reciperem, uisum non est. nam neque uidi esse in antiquis libris, & speciem glossematis aliquam praefert. etiam, Ingenio moueri, quam Latinum, & usitatum sit, uidentum. Haec Paullus pater. *CAVSSA consultatione* & Causa in foro tractatur ab Oratoribus: Consultatio a Iurisconsultis explicatur. *POSTVM est in una cognitione* & simpliciter capite comprehenditur. *SCAEUOLAE ambo,* & nimirum P. Mucius pater, & Q. Mucius Publij filius, cui Cicero operam dedit. *QVOD itaq;* Non est, inquit, pontifici necessarium ius civile; sed ius tantum priuatorum sacrorum. Quare adiunctione iuris civilis perturbatum est ius pontificium. *HAEC tanta facimus* & civilibus iuribus addimus pontificia. *CETERA* & iura, quae pontifici necessaria sunt. *PERPETVA sint sacra.* & Superuacaneum est, Sacra. *PECUNIA* & bona hereditaria. *AD uicem* & ad locum, siue munus, ut eadem prope persona uideatur. *Id quoque ordine* & Id quoque recte dicitur. *PROINDE habeatur,* & Ita habeatur sacris obnoxius. *A Scaeuola* & Q. Scaeuola. *AB antiquis* & scilicet, pontificibus. *PONTIFICVM* & Q. Scaeuolam, iuris pontificij peritorem. *PECUNIAM* & hereditatem, quae pars est civilis iuris. *PARTITIONIS caput;* & Hoc ex ingenio, uir acuminis ingenij, doctrinaq. excellens, Ranconetus praclare, anteq. in primis ad sententiam, emendauit. Veteres libri, Partitio ut. Sed supra dictum est: Dant hoc Scaeuolae, quod est partitionis caput. Haec Paullus pater. *DEDUCTA* & ea pars, quae deducta est ab herede, quo minus caperet, quam ceteris heredibus relinqueretur. Haec Paullus pater. *SCRIPTVS* & dissentiant a se ipsis. in testamento enim, quod scriptum non est, probant tamen. In donatione uero filij familias, si donauit inficiente patre non probant. Haec Paullus pater. *IN eius donatione* & in re ab eo donata. *SI ad caput referat* & ad legem, ex qua pendent, referat. *SUPERIORE exactione,* & coniuncta cum ea, quam primus heres cepisset.

CICERO

QVIN etiam cauent, ut, cui plus legata sit, quam sine religione capere liceat, is per aes & libram heredes testamenti soluat: propterea quod eo loco res est, ita soluta hereditate, quasi ea pecunia legata non esset. Hoc ergo loco, multisq. alijs, quae uobis Scaeuolae, pontifices maximi, & homines meo quidem iudicio acutissimi, quid sit, quod ad ius pontificium civile appetatis. civilis enim iuris scientia pontificium quoddam modo tollitis. nam sacra cum pecunia, pontificum auctoritate, nulla lege coniuncta sunt. itaque, si uos tantummodo pontifices essetis, pontificalis maneret auctoritas: sed, quod idem iuris civilis estis peritissimi, hac scientia illa eluditis. placuit P. Scaeuolae, & Cornucanio, pontificibus maximis, itemq. ceteris, qui tantundem caperent, quantum omnes heredes, sacris alligari. habeo ius pontificium: quid huc accessit ex iure civilis partitionis caput, scriptum caute, ut centum nummi deducerentur. inuenta est ratio, cur pecunia sacrorum molestia liberaretur. quod si hoc, qui testamentum faciebat, cauere nolisset, admonet iurisconsultas hic quidem ipse Mucius, pontifex idem, ut minus capiat, quam omnibus heredibus relinquatur. super dicebant; qui quid cepisset, adstringi: rursum sacris liberantur. Hoc uero nihil ad pontificium ius, & e medio est iure civili, ut per aes & libram heredes

testamenti soluant; & eodem loco res sit, quasi ea pecunia legata non esset, si is, cui legatum est, stipularis est id ipsum, quod legatum est, ut ea pecunia ex stipulatione debeatur, sitq. ea non doctum hominem sane, cuius fuit Aetius per familiaris. sed mensum credo extremum anni, ut ueteres Februarium, sic hic Decembrem sequebatur. Hostia autem maxima parentare pietatis adiunctum putabat. Iam tanta religio est sepulcrorum, ut extra sacra, & gentem inferri fas negent esse: idq. apud maiores nostros. A. Torquatus in gente Popillia indicauit. nec uero tam Denicales, quae a nece appellatae sunt, quia residunt mortui, quam ceterorum caelestium quieti dies, feriae nominarentur, nisi maiores eos, qui ex hac uita migrassent, in deorum numero esse uoluissent. eas in eos dies conferre ius, quibus nec ipsius, neque publicae feriae sint. totaq. huius iuris compositio pontificalis magnam religionem, caerimoniamq. declarat. Necessè est edisseri a nobis, qui finis suuetae familiae, quod genus sacrificij lae, ueruecibus fiat, quemadmodum os receptum, terra detegatur, quaeq. in porca contracta iura sint, quo tempore incipiat sepulcrum esse, & religione teneatur. Ac mihi quidem antiquissimum sepulchrae genus illud fuisse uidetur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur. redditur enim terrae corpus, & ita totum,

atum, ac situm, quasi operimento matris obducitur. eodemq. ritu in eo sepulcro, quod procul ad Fontis aras, regem nostrum Numam conditum, accepimus: gentemq. Corneliam usque ad memoriam nostram hac sepultura scimus esse usam. C. Marij sitas reliquias apud Anienem dissipari iussit Sulla uictor, acerbior odio incitatus, quam si tam sapiens fuisset, quam fuit felix: quod baud scio, an timens suo corpori posse accidere, primus e patricijs Cornelij igni uoluit cremari: declarat etenim Ennius de Africano,
Hic est ille situs.
uere: nam sibi dicuntur ij, qui conditi sunt. nec tamen eorum ante sepulcrum est, quam iusta facta, & corpus incensum est. & quod nunc communiter

in omnibus sepultis ponitur, ut humati dicantur id erat proprium tum in ijs, quos humus iniecta contereget: eumq. morem ius pontificale confirmat. nam prius, quam in os iniecta gleba est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet religionis: iniecta gleba, tum & ille humatus est, & sepulcrum uocatur, ac tum denique multa religiosa iura complectitur. itaque in eo, qui in naui necatus, deinde in mare proiectus esset, decreuit P. Mucius, familiam puram, quod os supra terram non existeret, porcarn heredi esset: C. Cotta censet habendas triduum ferias, & porco femina piaculum pati: si in mari mortuus esset, eadem praeter piaculum, & ferias.

EXPLANATIO

SINE religione & sine crimine. religio enim est, id est animi culpa, plus capere, quam liceat. PONTIFICI-
CVM auctoritate, & Ipsi enim pontifices sacra cum pecunia coniunxerunt: cum lex id tantum caueat, ne sacra intereant. HAC scientia illa eluditis. & nam calliditate iuris ciuili pecuniam onere sacrorum liberantes, ius pontificum euertitis. CORUNCANIO & auctor est Pomponius T. Coruncanium Romae ius profiteri primum coepisse, & multa eius responsa exisse. HABEO ius pontificium: & nimirum, ne sacra intereant. PARTITIONIS caput & Ita & in praecedentibus. CAVERE noluisse; & deductionem facere noluisse ad liberandum egatarium. DOCTVM hominem & Decimum Brutum intelligit, de quodidem Cicero pro Archia, Decimus quidem Brutus summus uir, & imperator, Attij amicissimi sui carminibus templorum, ac monumentorum aditus exornauit suorum. Illustratur hic locus ex Plutarch. problem. ubi inquit: Cur, cum ceteri Romani Februario mortuis parentarent, Decimus Brutus, ut Cicero scribit, id Decembri faciebat. HOSTIA maxima & ut iuuenio, aut tauro. DENICALES & Denicales, inquit Festus, feriae colebantur, cum hominis mortui causa familia purgabatur. RESIDVNT & quiescunt. FVNESTAE & funere pollutae. OS receptum, & in reliquo corpore comburendo. Recipere, antiqua lingua Latina, ualet, excipere: ut cum ruta caesa recipi dicuntur in lege praediorum. Haec Paullus pater. IN PORCA & Festus ait porcarn Cereri mactari ab eo, qui mortuo iusta non fecisset, id est glebam non iniecisset. Varronis uero uerba haec sunt, Quod humatus non sit heredi porca praedicanea suscipienda Tellurij, & Cereri, aliter familia pura non est. QVO tempore & nam, ut infra docebit, sepulcrum non ante incipit, quam iniecta sit gleba. APVD Xenophontem Cyrus & sic enim apud Xenophontem humari se praecipit Cyrus, Meum autem corpus, filij, cum e uita migrauero, neque in auto, neque in argento, neque alio quopiam loculo condatis: uerum terrae quamprimum reddatis. quid enim praestabilius, ac beatius, quam cum humo misceri, quae omnia bona parit, & educat? AD Fontis aras, & Liuij, Plutarcho, & Plinio testibus, Numa in Ianiculo in arcis lapideis cum suis libris sepultus est. C. Marij & Plinius lib. vii. cap. 54. Ipsum cremare apud Romanos non fuit ueteris instituti: terra condebantur. At postquam longinquis bellis obrutos erui cognouere, tunc institutum. Et tamen multae familiae profanos seruauerunt ritus: sicut in Cornelia nemo ante Sullam dictatorem traditur crematus: idq. uoluisse, ueritum talionem, eruto C. Marij cadauere. FELIX. & Sic malo, quam, Vehemens: quod antea legebatur. malo autem, quia & in antiquo libro sic est, & habet quiddam, quod magis cum sententia congruere uideatur. Haec Paullus pater. NEC tamen & c. & Transfert sermonem ad eos, qui cremabantur. nam, si hoc uelis referre ad id, quod proxime antecessit, Qui conditi sunt: pugnabunt inter se cum subiungatur, Corpus incensum est: quod non dicitur de ijs, qui conduntur. C. Cotta & Sic antiquus liber: alij, Contra: ut ad Mucium referatur: quo sensu, ego non uideo. nam, quem hic locum habet, Contra? non enim opponi uideo posse proximis superioribus uerbis. malo igitur, C. Cotta fuit enim pontifex, sicut Mucius, ut ex libris de nat. dea. 11. & 111. constat. Haec Paullus pater.

CICERO

Att. Video, quae sint in pontificio iure: sed quae ro, equidnam sit in legibus. M. Pauca sane, Tite, & uti arbitror, non ignota uobis: sed ea non tam ad religionem spectant, quam ad ius sepulcrorum. hominem mortuum, inquit lex in x 11, in urbe ne sepelito, ne ne urito, credo, uel propter ignis periculum. Quod autem addit, Ne ne urito, indicat non, qui uratur, sepeliri, sed qui humetur. Att. Quid? qui post duodecim in urbe sepulti sunt clari uiri? M.

Credo, Tite, fuisse, aut eos, quibus hoc ante hanc legem uirtutis causa tributum est, ut Publicolae, ut Tuberto, quod eorum posterij iure tenuerunt; aut eos, si qui hoc, ut Fabricius, uirtutis causa soluti legibus consecuti sunt. sed in urbe sepeliri lex uetat. sic decretum a pontificum collegio, non esse ius in loco publico fieri sepulcrum. nostis extra portam Collinam aedem Honoris. aram in eo loco fuisse, memoriae proditum est. ad eam cum lamina esset inuenta,

Cc & in

& in ea scriptum, Domina honoris; ea causa fuit
 aedis huius dedicandae. sed, cum multa in eo loco
 sepulcra fuissent, exarata sunt. statuit enim colle-
 gium, locum publicum non potuisse priuata religio-
 ne obligari. Iam cetera in x i i. minuendi sumptus,
 lamentationes q. funeris, translata de Solonis fere le-
 gibus. hoc plus, inquit, ne facito, rogam a scia ne pol-
 lito, nostis, quae sequuntur, discibamus enim pueri
 x i i, ut carmen necessarium, quas iam nemo discit.
 extenuato igitur sumptu tribus ricinijs, & uinculis
 purpurae, & decem tibi cinibus, tollit etiam lamen-
 tationem. Mulieres genas ne radunto; ne ue lessum
 funeris ergo habento. hoc ueteres interpretes, Sex.
 Aelius, L. Acilius, non satis intelligere se dixerunt;
 sed suspicari, uestimenti aliquod genus funebris. L.
 Aelius, lessum, quasi lugubrem eiulationem, ut nox
 ipsa significat: quod eo magis iudico uerum esse,
 quia lex Solonis id ipsum uetat. haec laudibilia, &
 locupletibus fere cum plebe communia, quod qui-
 dem maxime e natura est, tolli fortunae discrimen
 in morte. Cetera item funebria, quibus luctus auge-
 tur, duodecim sustulerunt. Homini, inquit, mortuo
 ne ossa legito, quo post funus facit. excipit bellicam,
 peregrinamq. mortem. Haec praeterea sunt in legi-
 bus, de unctura. Quae seruilis unctura tollitur, om-
 nisq. circumpotatio, quae & recte tolluntur, neque
 tollerentur, nisi fuissent. Ne sumptuosa respersio,
 ne longae coronae: nec acerrae praetereantur. Illa
 iam significatio est, laudis ornamenta ad mortuos
 pertinere, quod coronam uirtute partam, & ei, qui
 peperisset, & eius parenti, sine fraude esse lex im-
 positam iubet, credoque, quod erat factitarum, ut
 uni plura fierent, lectiq. plures inferrentur, id quo-
 que ne fieret, lege sanctum est: qua in lege cum es-
 set, Ne ue aurum addito, quam humane excipit al-
 tera lex, ut, quoi auro dentes uncti essent, ast in-
 cum illo sepelire, nrere ne si fraude esto. & simul il-
 lud uiderote, aliud habitum esse, sepelire, & urere.
 Duae sunt praeterea leges de sepulcris: quarum
 altera priuatorum aedificijs, altera ipsis sepulcris
 cauet. nam, quod rogam bustum ue nouum uetat pro-
 pius sexaginta pedes adijci aedes alienas inuiri do-
 mino, incendium ueretur acerbum: Quod autem fo-
 rum, id est, uestibulum sepulcri, bustum ue usucapi
 uetat, ueretur ius sepulcrorum. haec habemus in duo-
 decim, sane secundum naturam; quae norma legis
 est: reliqua sunt in more; funus ut indicatur, si quid
 ludorum; domusq. funeris utatur ac censo, atque li-
 floribus; honoratorum uirorum laudes in concione
 memorentur; easq. etiam cantus ad tibi cinem pro-
 sequatur, cui nomen Naeniae; quo uocabulo etiam
 Gracchos cantus lugubres nominantur. Q. Gaudeo
 nostra iura ad naturam accommodari, maiorumq.
 sapientia admodum delector. M. Sed credo, Quinte,
 ut ceteri sumptus, sic etiam sepulcrorum modum
 recte requiri: quos enim ad sumptus progressa iam
 ista res sit, in C. Figuli sepulcro uides. sed credo mi-
 nimum olim istius rei fuisse cupiditatem, alioqui mul-
 ta exstarent ampla maiorum. M. Nostrae quidem le-
 gis interpretes, quo capite iubemur sumptus, &
 luctum remouere a deorum manium iure, hoc intel-
 ligunt, in primis sepulcrorum magnificentiam esse
 minuendam. nec haec a sapientissimis legum scripto-
 ribus neglecta sunt. nam & Athenis iam illo more
 a Cecrope, ut aiunt, permansit hoc ius terra humani-
 di: quam cum proximi iniecerant, obductaq. terra
 erat, frugibus obferebatur: ut sinus, & gremium
 quasi matris mortuo tribueretur: solum autem fru-
 gibus expiatum ut uiuis redderetur. sequebantur
 epulae, quas inirent propinqui coronati: a pud quas
 de mortui laude cum quid ueri erat praedicatum:
 nam mentiri nefas habebatur: ad iusta coniecta e-
 rant. postea quam, ut scribit Phalereus, sumptuosa
 fieri funera, & lamentabilia coepissent, Solonis le-
 ge sublata sunt. quam legem eiusdem prope uerbis
 nostri decem uiri in decimam Tabulam coniecerunt.
 nam de tribus ricinijs, & pleraque illa, Solonis
 sunt: de lamentis uero expressa uerbis sunt: Mu-
 lieres genas ne radunto; ne ue lessum funeris ergo
 habento.

EXPLANATIO

In legibus § in x i i. tabulis. In urbe ne sepelito? Haec lex a Solone sumpra est. Initio enim quisque in
 suis aedibus sepeliebatur, cineres tamen. In loco publico? in urbe. sepulcra enim iuris priuati sunt. Mi-
 nuendi sumptus? quae pertinerent ad minuendum sumptum. Hoc plus? Quid, si, Opus, legas? nam &
 infra: Opere rectorio sepulcrum exornari non licebat. Aut, Hoc plus, intellige, plus eo quod supra definitum
 esset, omittuntur enim fortasse quaedam ex lege x i i. tabularum. Sed magis placeat, Opus ne facito. quod
 explanatur sequentibus uerbis: Rogum a scia ne polito. nam, rogam a scia polire, est opus facere. Sunt, qui
 ita distinguunt: Hoc plus inquit: Ne facito rogam, a scia ne polito. Sed non puto rogam prohiberi, cum uiri
 concedatur. prohibebatur autem rogam a scia politus, non omnis rogam. Haec Paullus pater. Ricinijs?
 Sunt, qui Ricinium dictam putant uestem, cuius dimidia retrorsum iaceretur a reijciendo. Decem tibi cinibus?
 Plin. lib. x i. cap. 3. Infra oculos malae homini tantum, quas praesci genas uocabant x i i. tab. interdicto radi a
 feminis eas uetante. Pudoris haec sedes. Ibi maxime ostenditur iudicium. Solon, inquit Plutarchus, ἀμωξας
 κατὰ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀφείλεν, i. lacerationes plangentium sustulit. Ne ue lessum? Cicero Tusc. i. Et hic nimirum est
 fletus, quem x i i. tab. in funeribus adhiberi ueterunt. Enatura? secundum naturam. Post funus fa-
 cit? & per consequens duplicantur impensae, cum iustus non statim sepelitur, aut alibi. Excipit &c. § pium
 enim est reliquias maiorum sepulcris inferri. Vnctura, quae? Mancum puto locum esse, & fortasse sup-
 plendum sic: Vnctura, circumpotationeque: deinde sequantur uerba legis: Seruilis unctura tollitur. men-
 dosum enim opinor, Tollitur. Haec Paullus pater. Ne sumptuosa respersio? Plin. lib. x i v. cap. 12. Nummae
 legis Postumia lex est, Vino rogam ne respergit. Acerrae? arae ante mortuum poni solitae, in quibus
 odores

odores incendebant, auctor Festus. PRAETEREANTVR. § Quid hoc significat? interpret, unus ille, qui omnium est optimus, aut quasi nimis apertum, aut, quod sibi parum satisfaceret, omisit. mihi placeret magis, & mutatione fieret minima, Praeferantur. Haec Paullus pater. SEPELIRE, *urere ne si fraude esset* § Antiquus liber mendose, Sepeliretur, & ne se fraudi esset. Alij emendarunt, Sepelire, urere ue, se fraude esto: suamque correctionem Sex. Pompeij testimonio probare conantur, aiunt enim: Se, Pompeius inquit, pro sine, inueniuntur posuisse antiqui. Hoc an ipsi ita scriptum in Festo uiderint, ignoro: ego scriptum uideo, Sed: & in antiquo lapide, nuper in Gallia reperto, eodem modo. Itaque malui legere sic: Sepelire, urere, ne si fraude esto. mutatione minima, praeterea Festi auctoritate adductus, is enim: Ne si, pro sine, dictum a ueteribus tradit. Haec Paullus pater. ACERBYM: § Corrupta dictio, meo quidem iudicio, quid enim hic addatur, Acerbum? obseruetur in antiquis libris, an uestigia sint aliqua ueritatis, unde fortasse Aedium, aut Aedificiorum, legi possit. Haec Paullus pater. SI quid ludorum? si ludi sint. DOMVS Q. funeris? Multis ab hinc annis adduxit me locus interrogationis in Vatinius, ipsaq. simul sententia, ut legendum suspicarer, Dominusq. funeris. meam coniecturam probauit in suo commentario is, qui mihi probatur maxime, Hadrianus Turnebus. Haec Paullus pater. ACCENSO, § ministro magistratum, qui populum uocet. Varro, Qui exercitum imperaturus erat, accenso dicit hoc, Calpurni noca in Licium omnes Quirites huc ad me. accensus dicit sic: Omnes Quirites in Licium uisite huc ad iudices. GRACCHOS § Ignota mihi dictio: sed ita est in antiquis libris. Graecos, Parisini. Haec Paullus pater. SED credo, Quinte, § Ita pergit Marcus oratione continuata, quasi Quintus nihil dixerit, quod est in dialogis usitatum. hoc monere uolui, quia uideo nonnullos de mendo suspicari, offensos, ut puto, particula Sed. Haec Paullus pater. CREDO uides sed. § Ceteri omnes libri: Vidisse credo, ego, coniectura ductus, Vides. sed credo. Nec dubito, quin ordinem uerborum attente considerantibus, nostra correctio probetur. Haec Paullus pater. IAM illo more § quo nondum scriptis legibus regebatur ciuitas. A Cecrope § Cecrops ex Aegypto profectus urbem Athenarum primum omnium mortalium condidisse dicitur: eamque de nomine Palladis, quae Sais apud Aegyptios uocabatur, ut ait Charax Mitilenaeus, Athenas nominasse. Phauorinus Cecropem Athenis primum nuptias instituisse scribit, & Iunonem Gameliam, hoc est nuptialem, & Gameliona mensem: atque ob id in fabulas relatum fuisse biforem, seu naturae duplicis. PROXIMI fecerant, § Pro, Fecerant, reposui Iniecerant. nam, cum in corrigendo tum litterarum similitudinem, tum sententiam sequi solitus sim; hoc in loco neque a litteris longius discedo; cum Iniecerant, de litteris extremis antecedentis uerbi, & de Fecerant, conficiam: neque sententiam, ut opinor, a Ciceronis mentem alienam induco. nam ipsemet ante ostendit, hic legendum, Iniecerant. ut subaudiarur, Terra. dixit enim. Quod nunc communiter in omnibus sepultis penitus, humati dicuntur; id erat proprium tum in ijs, quos humus contegeret. Haec Paullus pater. AD iusta coniecta erant. § Mendum omnes uident, tollere nemini adhuc licuit. conanti quidem uiro docto, quem ego probare soleo maxime, non successit, sua tamen, quod ille ait, cuique spona. mihi placet sic: Iusta confecta erant. funeris enim extrema pars erat laudatio. ea cum erant absoluta iusta confecta erant. Haec Paullus pater. POSTEA quam, § Suspicio, cum in antiquis libris esset, Postea quom, factum esse ab imperitis librarijs: Postea quam, qui non intelligerent, pro, Cum, scribi solere, Quom. quod mendum in ultimam quoque epistolam lib. I. I. fam. irrepleat. quo in loco, & in hoc ipso, magis omnino placet, Postea cum. Haec Paullus pater.

CICERO

DE sepulcris autem nihil est apud Solonem amplius, quam ne quis ea deleat, ne ue alienum inferat, poenaq. est, si quis bustum (nam id puto appellari τῦμβον) aut monumentum, inquit, aut columnam uiolarit, deiecerit, fregerit. sed post aliquanto, propter has amplitudines sepulcrorum, quas in Ceramico uidemus, lege sanctum est, ne quis sepulcrum faceret operosius, quam quod decem homines effecerint triduo: neque id opere tectorio exornari, nec Hermas hos, quos uocant, licebat imponi: nec de mortui laude, nisi in publicis sepulturis, nec ab alio, si qui publice ad eam rem constitutus esset, dici licebat. sublata etiam erat celebris as uiorum, ac mulierum, quo lamentatio minueretur. habet enim lectum concursus hominum. quocirca Pittacus omnino accedere quemquam uetat in funus aliorum. sed ait rursus idem Demetrius, increbuisse eam funerum sepulcrorumq. magnificentiam, quae nunc fere Romae est. quam consuetudinem lege minuit ipse: fuit enim hic uir, ut scitis, non solum eruditissimus, sed etiam ciuis e rep. maxime, tuendaq. ciui-

tatis peritissimus. iste igitur sumptum minuit non solum poena, sed etiam tempore: ante lucem enim iussit efferrī. sepulcris autem nouis finiuit modum. nam super terrae tumulum noluit quid statui, nisi columellam, tribus cubitis ne altiore, aut mensam, aut labellum: & huic procurationi certum magistratum praefecerat. Haec igitur Athenienses tui. sed uideamus Platonem, qui iusta funerum reijcit ad interpretes religionum: quem nos morem teneamus. de sepulchris autem dicit haec: Uetat ex agro culto, eo ue qui coli possit, ullam partem sumi sepulcro: sed quae natura agri tantummodo efficere possit, ut mortuorum corpora sine detrimento uiuorum recipiat, ea potissimum ut compleatur. quae autem terra fruges ferre, et ut mater cibos suppeditare possit, eam ne quis nobis minuat, ne ue uiuus, ne ue mortuus extrui autē uetat sepulcrum altius, quam quod quinque diebus homines quinque absoluerint: nec e lapide excitari plus, nec imponi, quam quod capiat laudem mortui incisam ne plus quattuor herois uersibus, quos longos appellat Ennius. habemus igitur hu-



I N
M. TVLLII. CICERONIS
D E . L E G I B V S
L I B R V M . I I I .

Commentarius Aldi Mannuccij.



C I C E R O



SEQVAT igitur, ut institui, diuinum illum uirum, quem, quadam admiratione commotus, saepius fortasse laudo, quam necesse est. Att. Platonem uidelicet dicis. M. Istum ipsum, Attice. Att. Tu uero eum nec nimis ualde unquam, nec nimis saepe laudaueris. nam hoc mihi etiam nostri illi, qui neminem nisi suum laudari uolunt, concedunt, ut eum arbitrato meo diligam. M. Bene hercle faciunt. quid enim est elegantia tua dignius? cuius & uita, & oratio consecuta mihi uidetur difficillimam illam societatem grauitatis cum humanitate. Att. Sane gaudeo, quod te interpellauit: quandoquidem tam praeclarum mihi dedisti iudicij tui testimonium. sed perge, ut coeperas. M. Laudemus igitur prius legem ipsam ueris, & proprijs generis sui laudibus. Att. Sane quidem, sicut de religionum lege fecisti. M. Videtis igitur, magistratus hanc esse uim, ut praesit, praescribatque recta, & utilia, & coniuncta cum legibus. ut enim magistratibus leges, ita populo praesunt magistratus: uereque dici potest, magistratum, legem esse loquentem; legem autem, mutum magistratum. nihil porro tam aptum est ad ius, condicionemque naturae, (quod cum dico, legem a me dici intelligi uolo) quam imperium: sine quo nec domus ulla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum uniuersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. nam & hic deo paret, & huic oboediunt maria, terraeque, & homi-

num uita iussis supremae legis obtemperat. atque, ut ad haec ceteriora ueniam, & notiora nobis, omnes antiquae gentes regibus quondam paruerunt. quod genus imperij primum ad homines iustissimos, & sapientissimos deferebatur. idque in rep. nostra maxime ualuit, quoad ei regalis potestas praesuit. deinde etiam deinceps posteris prodebat, quod & in ijs etiam, qui nunc regnant, manet. quibus autem regia potestas non placuit, non in nemini, sed non semper uni parere uoluerunt. nos autem, quoniam leges damus liberis populis; quaeque de optima rep. sentiremus, in sex libris ante diximus; accommodabimus hoc tempore leges ad illum, quem probamus, ciuitatis statum. Magistratibus igitur opus est, siue quorum prudentia, ac diligentia esse ciuitas non potest, quorumque descriptione omnis reip. moderatio continetur. neque solum ijs praescribendus est imperandi, sed etiam ciuibus obtemperandi modus. nam & qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est: & qui modeste paret, uidetur, qui aliquando imperet, dignus esse. itaque oportet & eum, qui paret, sperare se aliquando imperaturum; & illum, qui imperat, cogitare breui tempore sibi esse parendum. nec uero solum ut obtemperent, oboediantque magistratibus, sed etiam ut eos colant, diligantque, praescribimus, ut Charondas in suis facit legibus. noster uero Plato Titanum e genere statuit eos, qui, ut illi caelestibus, sic hi aduersentur magistratibus. quae cum ita sint, ad ipsas iam leges ueniamus, si placet. Att. Mihi uero & istud, & ordo isterum placet.

EXPLA-